Q. SEPTIMII FLORENTIS
TERTULLIANI,
PRÆSBYTERI CARTHAGINIENSIS
V I T A,

EX CLARISSIMIS RERUM ECCLESIASTICARUM Scriptoribus, præcipuè Pamelio, Rigaltio, Possevino, Bellarmino, Oudin, Du Pin, & aliis enucleata.

ACCEDUNT TERTULLIANI PARADOXA
Cum Antidotis Jacobi Pamelii.

Præcedunt etiam Veterum Scriptorum Testimonia quædam de Tertulliano.

Ex quibus omnibus non tantùm Auctoris, Doctrina, Scripta, variæque Operum editiones colliguntur, sed ejus ætatis etiam viginti quatuor annorum Historia deprehenditur.



VENETIIS. M. DC. XCVIII.

Typis Hieronymi Albrizzi.

SUPERIORUM PERMISSU.

Admodum Reverende Pater Patrone Colendissime.



CUm his aliquot superioribus mensibus ad hujus operis acuratiorem structuram, è variis Præcipuorum Authorum Codicibus in unum congerere adlaboraverim, quid quisque pro solidæ veritatis testimonio, de Tertulliani ab eoque ad Posteritatem transmissis scriptis, exaratum reliquisset, solicitè enucleari intenderem, minimè longiori consultatione deliberandum statui, Scriptoris tam Benemeriti de Christiana Republica Vitam, Tibi Pater Admodum Reverende meritissimo Jure consecrare. Altum sanè commercium in mente tua esse Divinorum eloquiorum, Sanctorum Patrum, Præcipuorum Ecclesiæ Scriptorum, ac Doctrinæ profundioris Principum palam est utpote qui tot jam annis Verbi Dei Præconio præcipuas Italiæ Urbes illustravisti; excepit siquidem doctrinæ Evangelicæ à te pabulum Orbis Urbiumque Regina Roma, excepit Celeberrima Venetiarum Urbs pluresque aliæ in quibus uberem Divinæ Doctrinæ segetem è Sacris Pergamis copiosissimè effudisti, ut non immeritò Sanctissimæ Religionis Tuæ Supremus Antistes ad primaria ejusdem munia obeunda, Te Sæpius

aliis

DE TERTVLLIANO

ET EIVS SCRIPTIS, DEQVE VARIIS EORVM EDITIONIBVS,

NICOLAI RIGALTII IVDICIVM.



NTER Christianos scriptores Latinos principem locum Tertulliano deberi veterum elogia super eo præclara consentiunt; neque est facile Græcorum aliquem proferre, qui religionis Christianæ cultum tantopere tantoque studio posteritati sanxerit, ut jam hinc nobis illud semel statuendum sese offerat, in armarijs priscæ Christianorum litteraturæ scripta non reperiri alia, quæ secundùm Evangelia, & Apostolos ab viris antiquæ pietatis amantibus majore cum fructu ac voluptate legantur. Huiusce Auctoris sententias quasdam fuisse non Catholici dogmatis, boni omnes etiamnum ferunt mœstissimè: atque inter Ecclesiæ tristia reputant quod est ab Hieronymo & Sophronio traditum, eximium doctorem sese ab Catholicis, tanquam Psychicis, quos Apostolus præ nimio vitæ animalis studio ad divini Spiritus monita obsurdescere ait, disiunxisse. Quæ res, ingenij sanè præcellentis auctoritatem apud quamplurimos haud mediocriter labefecit. Nam & Hieronymus ipse alicubi de Septimio, tanquam de solitariæ sententiæ persona, hominem Ecclesiæ non esse pronuntiat. Et tamen esse arbitror quod grauiter, & indignè feramus gloriantes hæreticos, tam strenuo Fidei Christianæ propugnatore, tam studioso ac diligenti pietatis innocentiæque patrono, quem nec ipsi suum jure ullo dicere audeant, si tantula clementia nostrum nobis servare velimus. Quid enim? Nuptias secundas accusat; ac ne unas quidem probare videtur. Certè Apostolo contradicit: Sed disciplinæ res erat; & temporum collectionem, consummationemque seculorum instare credebat; Christiani vexabantur; & volebat esse ad martyria paratissimos, absque ullis aut coniugum, aut liberorum impedimentis. Ita ratio temporis excusat, quod aliàs minimè ferendum fuisset. Ab eadem venit opinione, quod ad martyrium petitos fugere vetat, quod & jejunia quædam austeriora commendat quæ sunt etiam disciplinæ durioris, & scrupulosiùs custoditæ argumenta. At in Montano paracletum agnovit, atque defendit. Magnum crimen, si alium quàm Apostolicum à Patre in nomine Filij promissum. Quid si non alium? Quid si Montani Prophetidas haud alio spiritu regi putauit? Quid si nihil de Montano, quod cum recepta Fidei regula pugnaret audivit compertumve habuit? Planè huc pertinere videatur, quod prudentissimus Baronius acutè in alium finem observavit; ea Montani tempora fuisse, cùm rectè ambulantem cuncti venerarentur, cùm easdem omninò, quas Catholici, scripturas reciperet; de Trinitate paria cum Ecclesia sentiret, dona Spiritus agnosceret, disciplinam Ecclesiasticam exactè servaret, ieiunia, martyria, & quæ alia Christianæ pietatis, & constantiæ munera, nec ea verbis dumtaxat, verum etiam re ipsa subiret, quin & prophetias suas miraculis approbaret. Quis tunc Montani sanctitatem non prædicasset? aut quis Tertullianum cum ejusmodi Montano stantem vituperasset? Iterum dicam. Fuerit aliquando Montani malitia tam innocens, tam à nemine deprehensa, tam affinis virtuti etiam rigidæ, ut Tertullianum severitatis cultorem ceperit, ideoque Tertullianus Montani nomen hæreticorum catalogo non adscripserit. At si qua fuere post hac perfidè à discipulis delirata, ea neutiquam Tertulliani nostri sententia comprobantur. Etenim eo catalogo disertissimè Æschinem, & Proclum, ab ijsque nuncupatos Cataphrygas, blasphemiæ condemnat, quòd Paracletum in Montano plura, & meliora quàm in Christo dixisse, quasi Paracletus ipse Montani corpus induisset, nugarentur, quale nihil unquam ne somniasse quidem Montanum legimus. Ac licèt alicubi Tertullianus Paracleti nomine Montanum innuere videatur, non aliud tamen, sicut & Baronius arbitratur, senserit, nisi hominem fuisse Spiritus sancti gratia sic animatum, ut eamet ipsa, quæ nobis Deus Pater, & Spiritus per Christum tradiderat, etiam fortius, & pleniùs & perfectius exsequenda monstraret, quasi ab ubere depulsis, & jam adultis atque capacioribus. Hæc non eò dici à me velim quis existimet, quasi Montanum Tertullianumve adversus Ecclesiæ sententiam restitui ac recipi debere contendam; quin potiùs utrumque non consentanea Catholicis sen-

sisse nulla magis ratione probaverim, quàm ipsius tot seculorum Ecclesiæ consensu: sed vt præstantissimi sacrorum Annalium scriptoris acumine, quo Montanum à discipulis discrevit, Tertullianus quoque, ab iis quos Cataphrygas nominatos dixi, secernatur. Ac Montani quidem ea sors fuit, vt scriptorum ejus nihil ad nos pervenerit. Res ab ipso gestas aliquot ejus ævi scriptores attigisse narrat Eusebius: sed quæ ab iis retulit, adeò sunt plena declamatoriæ vanitatis, vt eò faciant fidei minus, quò magis affirmant. Alii posteriores abs se invicem ita dissident, vt quod ille constituit, alter evertat. denique Baronio multum displicent; erumpente fraudis & mendacii suspicione; Diverso fati ordine Tertullianus ad nos vsque pervenit. Nam ex æqualibus qui mentionem ejus faciat, neminem habemus; atque inter sequentium seculorum memorias, ab ejus ætate propius remotæ non extant vllæ, præter Eusebii, posteaque Hieronymi & Augustini; quorum amborum calculo, damnatis Montani partibus adnumerabatur. Ipse nihilominus suapte nobilitate clarus, eruditionis, facundiæ, pietatis splendore proprio fulgens, caliginis offusæ tenebras dispulit; hac saltem minori infelicitate Montano beatior, quod Eusebiani scriptores, qui Montanum & Montani discipulos descripsere, benè adeo meritum consuerint, vt silentio sepultus aliquot seculorum pace frueretur. Intereà per lucubrationum suarum reliquias sanctissimo Cypriani pectori sic ad vixit, vt quotidie lectitatus, Magister Cypriani nuncuparetur, ejusdem vocis elogio quæ sepostmodum toto cum sanguine in Christi nomen effudit; &, si tam efficaces martyrum preces opinari liceat, suos secum affectus tulit in cœlum. Etenim juuat hujusmodi votis prosequi, non Montani asseclam, sed Cypriani doctorem; atque in tam sublimis ingenii viro, qui Fidei Christianæ formulam, qualem Irenæus collegerat, qualem postea Patres Nicæni proposuere, libris editis haud semel professus est quædam excusare, quæ tunc novella Christi Fide, nondum radicitus auulsis profanæ philosophiæ placitis, nondum constituta Conciliorum Catholicorum auctoritate, in plerisque illius ævi Patrum commentariis Ecclesia, morum multo quam doctrinæ cautioris sollicita, tolerabat nempe extra Fidei vallum paucis articulis tutum, sentiendi opinandique libibine incustodità. Tanti viri scripta legentibus, etiam haud mediocriter litteratis, occurunt difficilia non pauca, Sermonis & Scripturæ. Nam Sermonis quidem Africani superbia doctrinarum fermè omnium dote præstans, lectores sibi poscebat ad nutum attentissimè sagaces. Posteaquam vero in longe alios incidit, mutari cœpit à quibus non potuit capi, & spurias dictiones pro legitimis, adulteræ manus inverecundia sparsit. Scripturæ autem nativæ ruina, Auctoris verbis semel interceptis, vt obtrito corpore, sensum vnà quoque ipsum & mente profligavit. Sic pessimi correctores emendatissima perdidere. Nam quis esset querelarum modus? Aut quid in tantæ calamitatis casu tam veteri non desperandum? Hæc pestis Homerum jampridem ita pervaserat, ut Arato quærenti, Vbi locorum haberetur Iliadis pisticæ copia, Timarchi filius Timon cum respondisset, quærendam esse in exemplaribus antiquis, addiderit, Sed nondum correctis. Dira natio, tam fœdè Septimii nostri libros, adèo quoque pridem vexavit, vt jam falsi vetustas longi temporis præscriptionem obstruat veritati. Quod si veterum librorum appelles fidem, etiam veterum librorum fide falsissimæ lectiones adseruntur. Nam sunt & libri veteres depravatissimè correcti; neque vlla spes reducendæ vnquam veritatis, nisi tam veteres nanciscamur, vt sint omni correctorum antiquitate vetustiores. Ætas avorum laudabiles Rhenani operas vidit, tribus editionibus elaboratas. Cujus viri fidei, judicio, eruditioni, diligentiæ, si partium studia meliorum exemplarium commercia non invidissent, is proculdubio præstitisset quod istam nobis hodiè operam valde levaret. Sequens ætas Fulvium Vrsinum tulit, qui certè codices inspexerat longe meliores Rhenanianis, contentus excerptas inde lectiones editionis Pamelianæ marginibus adnotasse, sed ne possessoribus quidem exemplarium nominatis. Fulvianæ lectiones in librum ampliss. doctissimique Tolosatium Archiepiscopi Car. Monchalli ex autographo transfusæ, nobis hoc etiam profuerunt, vt earum editioni, Epidictis Vvouverii Notis accuratæ, fides etiam apud austeriores constare debeat; immò & Schoppianis illis, ex Fuldensi & Vaticano in Apologeticum & adversus Iudæos Excerptis ab Iunio publicatis. Quorum certe fidem eorum magis refert vbique esse testatissimam, quod & multa sunt & præclara nobis inde notata, quæ huic editioni plurimum tribuant lucis & ornamenti. Hæc erit apud posteros ætatis nostræ gloria. Cui decus accedit ingens, comperto tandem codice quem ex voto Agobardi Episcopi Lugdunensis ad S. Stephani altare oblatum fuisse legimus. Hunc certe librum ad exemplaria illa nondum correcta descriptum fuisse probabunt ejus ope restituta nitori pristino quamplurima, quæ singula indicare tædii sane fuisset molestissimi; pretii vero nullius. nam hæc ipsa Tertullianus avide recipit, vt sua, quæ malè auulsa fuerant, tam bene hodie cohærent, vt avelli vnquam potuisse non credas. Itaque summas recuperatorum colligi sat erit, vt inde constet quid præstare sisimus parati. Sic tamen vt notabilia tantum comprehendantur: minutioribus, nec tamen

sper-

spernendis, scrupulosæ calculorum diligentia relictis; ut sit olim ingens etiam cumuli summa. Observationes adjecimus illustrandis aliquot locis obscurioribus, prisci moris jam longa oblivione deletis, aut eruditionis alicujus reconditæ vestigijs indagandis. In quo, si nonnulla paulo licentius posita aut disquisita censeantur, ut sunt illa fortasse de criminum occultorum castigatione: deque forma Dominici vultus, ac de lucernis per diem accensis, ea sic accipi debent, tanquam Septimianis opinionibus despiciendis animadversa; minimè autem arguendis Catholicorum sententijs, aut improbandis Patrum Septimio posteriorum decretis. Imò sententias & decreta ipsa Patrum in Ecclesia receptissimorum semper opposuimus Tertulliano, ut qui, Africanis istis velut salebris offenduntur, statim habeant quò referre pedem tutò possint. Notas etiam intexuimus variarum lectionum ambiguitati pensitandæ, veritati explorandæ, conjecturis nonnunquam explicandis, aut confirmandis, Denique Africani stili Glossas complurium inter sese locorum comparatione concinnavimus, interpretandi ratione certissima. Glossas Græco vocabulo, quo Fabius tradidit linguæ secretioris voces minus usitatas significari. Porrò, breviores Observationes ac Notas plerisque haud satisfacturas scimus, nec propterea culpam deprecamur. Afer iste lectorem non admittit nisi jam eruditum.

VETERVM SCRIPTORVM TESTIMONIA QVÆDAM

DE TERTVLLIANO, EX RIGALTIO.

EVSEBIVS *in Chron.* Tertullianus Afer Centurionis Proconsularis filius, omnium Ecclesiarum sermone celebratur.

EVSEB. *Hist. Eccles. lib. II. cap. 2.* Τερτουλλιανὸς τοὺς Ῥωμαίων νόμους ἠκριβωκὼς ἀνήρ, τά τε ἄλλα ἔνδοξος, καὶ τῶν μάλιστα ἐπὶ Ῥώμης λαμπρῶν

RVFINI *interpretatio.* Tertullianus, vir & legum & institutionum Romanarum peritissimus, & inter nostros Scriptores admodum clarus.

IDEM RVFINVS *Euseb Hist. Eccl. lib. II. cap. 24.* Tertullianus, vir scriptorum nobilissimus.

HIERONYMVS, *Epist. ad Magnum, oratorem Rom. ubi de Scriptoribus Christianis.* Veniam, inquit, ad Latinos, Quid Tertulliano eruditius? quid acutius?

Idem, Præfat. in Epist. ad Ephes. Numquid aut Tertullianus beatum Martyrem Cyprianum, aut Cyprianus Lactantium, aut Lactantius Hilarium deterruit à scribendo? Nisi & parva fuerint, magna eminere non possunt.

Idem, in Catal. Script. Ecclesiasticor. Tertullianus Presbyter, nunc demum primus post Victorem, & Apollonium Latinorum ponitur, Provinciæ Africæ, Civitatis Carthaginensis, patre Centurione Proconsulari. Hic acris, & vehementis ingenij, sub Severo Principe, & Antonino Caracalla floruit, multaque scripsit volumina; quæ quia nota sunt pluribus, prætermittimus. Vidi ego quemdam Paulum Concordiæ quod oppidum Italiæ est, senem, qui se Beati Cypriani jam grandis ætatis Notarium, quum ipse admodum esset adolescens, Romæ vidisse diceret, referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione vnam diem præterisse; ac sibi crebrò dicere: Da magistrum, Tertullianum videlicèt significans.

Hic quum usque ad mediam ætatem presbyter Ecclesiæ permansisset, invidia posteà & contumelijs Clericorum Romanæ Ecclesiæ ad Montani dogma delapsus, in multis libris novæ Prophetiæ meminit; specialiter autem adversùs Ecclesiam texuit volumina: *De pudicitia*, *De persecutione*, *De Iejunijs*, *De monogamia*, *De Ecstasi Libros sex*, *& septimum, quem adversus Apollonium* composuit. Ferturque vixisse usque ad decrepitam ætatem, & multa, quæ non exstant, opuscula condidisse.

AVGVSTINVS *Lib. de Hæresib.* Tertullianistæ à Tertulliano, cuius multa leguntur opuscula eloquentissimè scripta, usque ad nostrum tempus paulatim deficientes, in extremis reliquijs durare potuerunt in vbe Carthaginensi. Me autem ibi posito ante aliquot annos, quod etiam te meminisse arbitror, omni ex parte consumpti sunt. Paucissimi enim qui remanserunt, in catholicam transierunt, suamque basilicam, quæ nunc etiam notissima est, catholicæ tradiderunt. Tertullianus ergo, sicut scripta ejus indicant, animam dicit immortalem quidem, sed eam corpus esse contendit; neque hanc tantum, sed ipsum etiam Deum corporeum esse dicit; licèt non effigiatum. Neque tamen hinc hæreticus creditur factus. *Paulo post*: Non ergo ideò est Tertullianus factus hæreticus, sed quia transiens ad Cataphrygas, quos ante destruxerat, cœpit etiam secundas nuptias contra Apostolicam doctrinam tanquam stupra damnare, & postmodum etiam ab ipsis divisus, sua conventicula propagavit.

Anonymus, quem Hincmarus Remensis Hyginum per errorem vocat. Scripsit autem adversùs Prædestinatianos paulò post obitum S. Augustini.

XXVII. hæresis Cataphryges orti sunt qui hoc nomen à provincia, non à dogmate adsumpserunt. Quorum auctores fuerunt Montanus, Prisca, & Maximilla. Hi itaque adventum Spiritus sancti à Domino promissum in se potiùs, quàm in Apostolis fuisse adserunt redditum: secundas nuptias pro fornicationibus habent, & ideò dicunt eas permisisse Apostolum Paulum, quia ex parte sciebat, & ex parte prophetabat. Nondum enim venerat quod perfectum est: hoc autem perfectum in Montanum, & in eius prophetissas, quas suprà diximus, venisse delirant. Hactenus diximus de Cataphrygis. Cetera quæ dicuntur quasi incerta prætereo, de infantis sanguine eos accipere, quod ideò dicimus, ne videamur ignorare omnia quæ de eis dicuntur. Hi enim qui contra eos scripserunt nihil hinc penitùs memorarunt. Scripsit contra eos librum Sanctus Soter Papa Urbis, & Apollonius Ephesiorum antistes. Contra quos scripsit Tertullianus Præsbyter Carthaginensis, qui cùm omnia benè & apprimè & incomparabiliter scripserit, in hoc solùm se repræhensibilem fecit, quod Montanum defendit, agens contra Soterem supradictum Urbis Papam. Asserens falsa esse de sanguine infantis, Trinitatem in unitate deitatis, pœnitentiam lapsis, mysterijs eisdem, unum Pascha nobiscum. Hoc solùm discrepamus, inquit, quod secundas nuptias non recipimus, & prophetiam Montani de futuro judicio non recusamus. Objiciunt quidam Tertulliano, quòd animam ex traduce, id est, animam dixerit ita gigni ex anima, sicut ex corporibus corpus: quod catholica fides vehementer execratur.

TERTULLIANISTAS olim à Sotere Papa Romano damnatos legimus. Cur autem XXVI. eos hæresim dicamus arripuisse, hæc causa est, quòd quædam Octavia veniens ex Africa, cujus vir Hesperius nomine videbatur Duci Arbogasto valde conjunctus, qui etiam apud Maximum tyrannum multùm potuit, hæc Octavia adduxit secum quemdam tergiversatorem, versutumque dæmonem, cui vix centum occurrerent verbosanti, atque in hominem confidenti. Hic cum se Præsbyterum diceret Tertullianistam, meruit per sacrum scriptum ut sibi collegium extra muros Urbis fabricaret. Quod dum impetrasset à tyranno Maximo, sanctorum nostrorum

exclu-

exclusit locum, id est duorum fratrum Processi & Martiniani, dicens Phryges fuisse, & ideò hanc legem tenuisse, quam Tertullianus; atque hoc ordine per occasionem Martyrum Dei populum seducebat. Deo autem Theodosio religioso Augusto dante victoriam, punitoque satellite Maximi, de cujus se Tertullianista potestate jactabat, statim fugit cum matrona quæ venerat, nec viventis, nec mortui rumore renovato. Martyrum suorum Deus excubias Catholicæ festivitati restituit. Tertullianus autem fuit civis & præsbyter Carthaginiensis. Opuscula eloquentissima, & ferventia in defensione edidit veritatis. Hic apud Carthaginem basilicam habuit, ubi populi ad eum conveniebant. Quæ basilica usque ad Aurelium Episcopum fuit: Agente enim Augustino Hipponensi Episcopo, & rationabiliter cum eis disputante conversi sunt, Ecclesiamque suam Sanctæ Ecclesiæ contulerunt. Tertullianum autem Catholica hinc reprehendit auctoritas, quod animam ex anima nasci dicit, & defendit Montanum, & Priscam, & Maximillam contra Fidem Apostolicam, & contra Apollonium Episcopum Orientis, & contra Soterem Papam urbis Romæ, ut supra diximus, dum Cataphryges hæreticos detegeremus, à quibus postea divisus, ne plebs ob Montani nomen Tertulliani videretur excludere, fudit à se omnem Phrygiæ vanitatem, Tertullianistarum conventicula propagavit; nihil tamen in fide mutavit. Nam & secundas nuptias condemnat, vt diximus, animam ex traduce venire adserit, & nos Catholicos Psychicos titulat. Ubicumque autem legeris, Tertulliani adversus Psychicos, scias eum contra Catholicos agere.

Idem auctor, Hæres. 50. quæ est Proclianorum. His Tertullianus vehementer occurrit, ostendens Dei filium impassibilem esse, & ista divinitati non injuriam, sed laudem adferre, sicut rex qui volens annulum aureum cum gemma de cloaca levare, induit se servilem tunicam, & sic descendit ad cloacam, ut stercoreas injurias tunica illa suscipiat, & mittens manum, & annulum aureum cum gemma eripiens, aqua abluit, & digito suo regali induit, posteaquam inde ascenderit. Ita proculdubio Dei filius formam servi suscipiens venit non solum ad inferos cœlorum, ubi nos sumus qui videmur vivere in mundo: sed etiam ad inferos inferiores, qui tanto à nobis sunt profundius, quanto nos sumus cœlo, & ut inde humanum genus eriperet, cunctarum sordium, non suarum, sed nostrarum est squallorem perpessus.

VINCENTIUS LIRINENSIS, *Commonitorio 1. postquam de Origene verba fecit, de Tertulliano sic ait:* Sed & Tertulliani quoque eadem ratio est. Nam sicut ille apud Græcos, ita hic apud Latinos nostrorum omnium facile princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius? quid in divinis, atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem Philosophiam, & cunctas Philosophorum sectas, auctores adsertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum veritatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio verò nonne tam gravi ac vehementi excelluit, ut nihil sibi pœnè ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit? Jam porrò orationis suæ laudes quis exequi valeat? quæ tanta nescio qua rationum necessitate conferta est, ut ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat: cujus quot pœne verba, tot sententiæ sunt: quot sensus, tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Iudæi, Gentiles, Gnostici, cæterique quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus evertit. Et tamen hic quoque post hæc omnia, hic inquam Tertullianus, catholici dogmatis, id est universalis ac vetustæ fidei, parum tenax, ac disertior multò quam fidelior, &c.

CUJACIUS, Obser. 2. lib. VIII. *Tertullianum fuisse sub Severo, & Antonino constat, si quidem is est, qui de religione Christiana complures libros scripsit, cujus rei ijdem illi libri indices clari sunt, translationibus ex jure sumptis confertissimi, & testis Eusebius lib. II. cap. 2. qui eum fuisse Iurisconsultum scribit.*

EX IOANNIS TRITHEMII ABBATIS
Libro de Script. Eccles.


ERTVLLIANVS Presbyter, patria Carthaginensis, Africanæ provinciæ, patre Centurione viro Proconsulari, homo acris & vehementis ingenii, tam in divinis quam in secularibus scripturis doctissimus, quippe qui apud Carthaginem Rhetoricam multis annis gloriosè docuit. Scripsit Latino sermone penè infinita opuscula, in quibus Hæreticorum errores fortiter contrivit. Hujus scripta beatissimus Martyr Cyprianus in tanta veneratione habuit, ut nullum sine eorum lectione diem præteriret. Dicere enim ad Notarium suum consueverat: Da Magistrum, Tertullianum videlicet designans. Tandem in errorem Montani delapsus dicitur, propter quod ejus opuscula inter apocrypha computantur xv. dist. Sancta Romana. Et licèt in aliquibus erraverit, in multis tamen benè scripsit, sicut ejus volumina testantur, de quibus vidi

Da Patientia Dei,	Lib. vnum.	*Confiteor ad Dominum Deum*
Adversus Praxean,	Lib. I.	*Variè diabolus æmul.*
Contra Marcionem,	Lib. 5.	*Si quid retrò gestum est.*
Contra Judæos,	Lib. I.	*Proximè accidit disp.*
De Præscript. hæretic.	Lib. I.	*Conditionem præsentium,*
Contra omnes hæreses	Lib. I.	*Quorum hæreticorum.*
Adversus Hermogenem	Lib. I.	*Solemus hæreticis con.*
Contra Valentinianos	Lib. I.	*Valentiniani frequent.*
De Carne Christi	Lib. I.	*Qui fidem resurrectionis.*
De Resurrectione carnis	Lib. I.	*Fiducia Christianorum.*
De Corona militis	Lib. I.	*Proxime facta est liberal.*
Ad Mareyras	Lib. I.	*Inter carnis alimenta.*
De valandis Virginibus	Lib. I.	*Pœnitentium hoc genus.*
De Habitu muliebri	Lib. I.	*Proprium jam negotium.*
De Cultu fœminarum	Lib. I.	*Si tanta in terra morare.*
Ad Uxorem	Lib. 2.	*Ancillæ Dei vivi conser.*
De Persecutione ad Fabium	Lib. I.	*Dilectissima in Domino.*
Ad Scapulam	Lib. I.	*Quæsisti proximè Fabi.*
Exhortatorium castitatis	Lib. I.	*Nos quidem neque expa.*
De Monogamia	Lib. I.	*Non dubito frater te.*
De Pallio	Lib. I.	*Hæretici nuptias auf.*
De Spectaculis	Lib. I.	*Principes semper Africæ.*
De Iejuniis	Lib. I.	
De Ecstasi	Lib. 6.	
Adversus Apollonium	Lib. I.	
De Pudicia.	Lib. I.	

Scripsit quoque & alia plura, variosque tractatus, qui ad manus nostras adhuc minimè venerunt, vixitque usque ad senectam & senium studiosus. Claruit Severi Imperatoris temporibus, anno Domini cc.

EX ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM
Enchiridio, Epist. 5. Lib. 4.


E TERTVLLIANO quod requiris. *Quinctus Septimius Florens Tertullianus* appellatur, ejusque legi libros, præter *Apologeticum, De Pallio, De carnis Resurrectione, De corona militis, Ad Martyras, De Virginibus velandis, De Habitu mulierum, De Cultu fœminarum, Ad Vxorem, Ad Scapulam, De persecutione ad Fabium, De Exhortatione castitatis, De Patientia, De Monogamia, De Præscriptionibus hæreticorum, Contra Hermogenem, Adversus Praxean, Valentinianos, Marcionem, Judæos, Hæreticos omnes.* Ipse quorumdam præter hos Librorum meminit à se compositorum, qui nec exstant. Lactantius, ut in omnibus eruditum doctrinis, ita in eloquendo duriorem perhibet. Augustinus, lapsum quibusdam locis miratur, quamvis hominem doctissimum. Cyprianus sua frequenter scripta de illius fontibus irrigavit. Reliqua super eo Libellus Hieronymi virorum illustrium suppeditabit. Ex Apologetico verò nimium tibi deerat, quod & huic Epistolæ tum subnexui. Tu ceteros tamen ejus Libros cave putes cum Apologetico conferendos; tum illud scito, volumen esse quod desideras propè immensum. Nam quod ad operam scilicet adtinet meam, libenter equidem de illa tibi verbis eisdem spondeo; quibus Publio Septimio de civium fortunis Antonius. Quid concupiscas, tu videris. Quod concupiveris, certè habebis. Vale. Florent. Pridie Idus Ianuarii M. CCCC. LXXXI.

VITA

VITA
Q. SEPTIMII FLORENTIS
TERTVLLIANI CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI,
Auctore Iacobo Pamelio, quæ ejus ætatis viginti quatuor annorum Historiam continet.



ERTVLLIANI vitam Deo auspice descripturis, qui (quod memoratu dignum est) sub Afro Romano Pontifice S. Victore, Imperatore item Afro sibi cognomine Septimio Severo, Afer & ipse floruit; duæ occurrunt controversiæ, eæque difficillimæ. Prior, de Tertullo Consule, TERTVLLIANO nostro, Tertyliano IC. & S. Tertullino Martyre, è quibus quatuor hallucinatione quadam vnum conficere quidam conati sunt. Altera, de tempore & ætate Auctoris, qua fidei Sacramentis novus Christi Tyro initiatus est. Ad priorem quod attinet: Imprimis fefellit Rhenanum corrupta lectio apud Reginonem, quæ castiganda etiam apud Hermannum Contractum in Chronicis, ut Tertullino Martyre, quem recensent Martyrologia ex Actis passionis S. Stephani Papæ pridie Nonas Augusti, TERTVLLIANVM legerit. Deinde non minus hallucinati sunt hactenus, qui Tertullum Romanum Consulem cum Iureconsulto Tertyliano confundunt, occasione Senatusconsulti Tertulliani, ad quod complura Rescripta sunt edita, quæ recitantur D. L. 38. T. 17. & Cod. L. 6. T. 55. Neque enim reperiri poterit aliquis Consul Tertullianus, seu Tertylianus, sed Q. Flavius Tertellus cum Licinio Sacerdote anno V. C. DCCCCX. ad cujus relationem jam antea, imperante Hadriano Augusto, dictum Senatusconsultum publicatum est. Utpotè quum D. dicto Titulo lib. 21. D. Pius decreverit in quadam facti specie cessare Senatusconsultum Tertullianum, quod proinde eo constat esse antiquius. Tertylianus verò IC. sicuti mox latius, sub Alexandro Imperatore multis post annis claruit, cum aliis plerisque Papiniani discipulis, qui Juri dicundo operam dedere, cujus Constitutiones ex Libris Quæstionum & Libro singulari de Castrensi peculio, ne quid hic desit, post Vitam hanc Auctoris nostri subjecimus. Quæ solæ quum supersint; nec quisquam alius librorum aliorum ab hoc Tertyliano editorum meminerit, falsus videtur Conradus Gesnerus, dum illi prætereа adscribit legum Rescripta ex Libris de Senatusconsultis, ac ad SC. Libonianum & Orphitianum. Atque in his satis consentiunt Doctores. Verum an idem sit ille Tertylianus cum nostro hoc TERTVLLIANO, adhuc sub judice lis est, præsertim id adserentibus quibusdam magni nominis & eruditionis IC. Nos certè, saluo saniori judicio, diversum censemus, tum quòd ille juxta veriorem ex Pandectis Florentinis lectionem, teste Augustino Justiniano, ubique Tertylianus vocetur, noster verò TERTVLLIANVS, tum quòd etiam Francisc. Balduinus datis ad me litteris stylum, & orationem dissimilem confessus sit, tum denique, quod tempora non satis conveniant. Si enim cum Bernardino Rutilio Tertylianum suos edidisse Libros dicamus sub Imperio Hadriani & Antonini, quum Hadrianus Imp. objerit an. V. C. DCCCLXXXX. & Severus Imp. sub quo noster TERTVLLIANVS, primum cœperit imperare anno V. C. DCCCCXLV. & sic intercesserint anni LV. oportebit hunc fuisse ætate quinquagenario majorem, quum ex IC. Christianus factus est, maximè si responsa illa illi adtribuamus, quæ nonnisi in auctoritate magna constituti dare solent IC. cujus tamen contrarium ex S. Hieronymo constat, qui media illum ætate, quum anteà diu Presbyter fuisset, ad hæresim scribit defecisse. Sin verò, juxta alios (quorum suprà secuti sumus sententiam) sub Alexandro Imp. cum ceteris IC. quorum responsa in Pandectas relata sunt, jam luce clarius est, eumdem non esse. Nam noster TERTVLLIANVS ante Alexandrum annis plus minus xxx. Christi fidem amplexus; eo tempore si adhuc superstes fuerit, in hæresi volutabatur. Neque verò argumenta contrà sentientium tanti sunt ponderis, ut in partes suas me potuerint pertrahere. Quod enim Vlpianus (qui locus fortassis occasionem huic dedit controversiæ) D. L. 38. T. 17. ad SC. Tertullianum lib. 1. Rescripti meminit Imperatoris & D. Patris (id est Antonini & Severi ad Tertullianum quemdam; imprimis aut Junius, aut Ovinius juxta MS. cod. Tertullianus ille prænominatur, quum noster Q. SEPTIMIVS TERTVLLIANVS appelletur, deinde Pandectæ Florentinæ Tertullum legunt, fortassis eumdem, qui etiam dictus Q. Flavius Tertullus, cum T. Flavio Clemente Consulatum gessit anno Severi III. Altera verò ratio, qua potissimum nituntur illi, quòd Juris verborum retinentiss. atque adeò IC. Romanus fuerit, vel Eusebio teste noster TERTVLLIANVS, non magis convincit, quàm si dicamus, Cæcilium Oratorem quem introducit secum colloquentem in suo Octavio Minutius Felix, eumdem esse cum Cæcilio Cypriano nostro, quòd vterque Oratoriam exercuerit. Aut (quod ad institutum facit magis) si Septimium Severum Imp. eumdem esse existimemus cum Septimio altero Severo, quòd vterque Afer & Historicus fuerit, quorum ille suam, hic Alexandri Imp. vitam conscripsit. Aut denique, si Septimium illum cujus versus exstant apud Crinitum in Jani laudes, aut Quintum Septimium Romanum, qui Dyctis Cretensis de bello Troiano Libros sex Latinos fecit, confundamus cum nostro SEPTIMIO TERTVLLIANO, quod ambo & Afri Poetæ fuerint. Ad quorum fortassis distinctionem, Auctor noster Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI CARTHA-

THAGINIENSIS appellationes Libris præfixit suis, non contentus duabus illis SEPTIMII TERTVLLIANI, quemadmodum reliqui post eum scriptores Afri, Minutius Felix, Cæcilius Cyprianus, Lactantius Firmianus, Marius Victorinus, & Aurelius Augustinus.

Tom. 5. lib. de Monog. c. 3. num. 17.

Porrò (quod ad alteram pertinet controversiam) de tempore quo ad fidem conversus est TERTVLLIANVS noster, major multò se difficultas offert. Quosdam qui claruisse putant circa annum Christi nati CLX. fefellit illud Auctoris Lib. de Monogamia, *annis circiter* clx. *exinde productis*, verum illi quomodo computandi sint à passo Christo, an potius ab ætate qua Apostolus Paulus Epistolam scripsit ad Corinthios primam, infrà latius ad annum Domini ccxIII. Multò itaque rectius Eusebius, Vener. Beda, Freculphus Lexoviensis, Martinus Polonus, Conradus à Lichtenavv Abb. Vrspergensis, Vincentius Bellovacensis, Hermannus Contractus, & Trithemius; circa annum plus minus Christi nati cc. TERTVLLIANVM claruisse scribunt. Atqui de anno, quo Christo nomen dederit, silent omnes præter ipsum TERTVLLIANVM, sed verbis longè obscurissimis. Illud quidem perspicuum est, statim à baptismo conscriptum ab eo Librum de Pallio, ea nempè occasione, quod, quum pro more Christiano Toga dimissa Pallium indutus esset, amicus quispiam objecit: *Ita à Toga ad Pallium?* Cui inter cetera respondet: *At ego jam illi etiam divinæ sectæ ac disciplinæ commercium confero. Gaude Pallium & exsulta, melior jam te Philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti.* Verum non perinde intelligi potest, quid sibi velint ejusdem Libri verba: *Sed vanum jam antiquitas, quando curricula ista coram. Quantum reformavit orbis sæculum istud? Quantum urbium aut produxit aut auxit aut reddidit præsentis Imperii triplex virtus, Deo tot Augustis in vnum favente? Quot census transcripti? quot populi propaginati? quot Ordines illustrati? quot barbari exclusi? Revera orbis cultissimum hujus imperiri rus est, eradicato omni aconito hostilitatis & casto & rubo subdolæ familiaritatis, consitum & amœnum super Alcinoi pometum & Midæ rosetum.* Id quidem Rhenanus, Magdeburgenses, aliique eum secuti ita interpretantur; ut per *Triplicem Imperii virtutem*, intelligant Severum Augustum, & Pescennium Nigrum, ac Clodium Albinum Cæsares, quorum illi ab exercitibus in Pannoniis & Oriente, hic in Gallia Cæsar dictus est. Sed ipse sibi contradicit Rhenanus, quum fatetur invito Severo id factum de Pescennio, & utrumque ab illo hostem judicatum, & è vivis sublatum posteà. Non poterit igitur in tanta trium Cæsarum simultate accommodari illud: *Deo tot Augustis in vnum fauente*, multò verò minus illud: *eradicato omni aconito hostilitatis*. Immò quum illa trium Cæsarum variis in Provinciis delectio contigerit statim initio Imperii Severi, minimè convenire potest cum verbis sequentibus: *Quot census transcripti? &c. quot barbari exclusi?* Quorum postremum majorem scrupulum injicit, quòd inde constat, non nisi post *exclusos barbaros* hunc librum conscriptum, id est, post devictos Arabas, Parthos & Adiabenos. Quod itaque in Argu-

Tom. 7. lib. de Pall. c. 5. num. 94.
Ibid. c. 6. nu. 117.
Ibid. cap. 3. num. 41.

mento & Adnotationibus nostris ad annum ferè quintum retulimus Imperii Severi, ad annum tertium potius applicari oportere postea deprehendimus, quum anno quarto à Severo deficere Albinus cœperit, & anno quinto interfectus sit. Itaque imperantibus tunc vnà Severo Augusto, Antonino ejus filio, & dicto Albino, pacato jam Imperio, utpotè devictis jam ac occisis, & Iuliano, qui occiso Pertinace illud invaserat, & Pescennio Nigro. Et verò de Albino Imperii consorte consentiunt omnes. Nam juxta Fastos Consulares, statim post, acceptos omnes Imperij titulos, D. CLODIVS ALBINVS AB IMP. CÆS. L. SEPTIMIO SEUERO AVG. CÆSAR APPELLATVS EST: & anno sequenti Consulatum injit Severus cum Albino, qui jam inde etiam SEPTIMIVS dictus est, quantum apparet in Severi gratiam. Qui eo etiam honore illum prosecutus est, ut nummos ejus imagine (teste Spartiano) insigniri jusserit, qui etiamnum exstant cum inscriptionibus tam Græcis quàm Latinis apud Generosos Dominos Marcum & Guidonem Laurinos Vvatrefleti Toparchas, cum aliis compluribus, quorum infrà fiet mentio. E quibus pro nostra sententia faciunt, jam post occisum Nigrum publicati isti: IMP. CÆS. D. CLODIO SEPT. ALB. COS. II. MONETA AVG. CS. VICT. AVG. aut MINERVÆ PACIFERÆ SÆCVLO FOECVNDO; aut denique: FELICITAS; quæ omnia pertinere videntur ad illud: *eradicato omni aconito hostilitatis.* De Antonino autem Severi filio, quod etiam jam inde Cæsaris titulo insignitus fuerit, duo sunt quæ conjecturam confirmant nostram, tum lex 1. de inofficioso Testamento Cod. l. 3. quam rescripserunt Severus & Antoninus Kal. Iulijs Falcone & Claro Coss. quorum Consulatus incidit in 1. annum Severi: tum hæc numismatis inscriptio: IMPP. INVICTI PII AVGG. (cum Severi effigie & Antonini adhuc pueri imberbis) VICTORIA PARTHICA MAXIMA. Quæ adeò referri potest ad illud: *quot barbari exclusi?* sicut & ista: L. SEPT. SEV PERT. AVG. IMP. II. ARAB. PAR. ADIAB. COS. II. PP. SC. Maximè consentiente Spartiano in hæc verba post Nigri cædem: Deinde circa Arabiam plura gessit, Parthis etiam in deditionem redactis, necnon & Adiabenis, qui omnes cum Pescennio senserant. Atque ob hoc reversus, Arabicus, Partichus Adiabenicus, appellatus est, sed triumphum respuit, ne videretur de civili triumphare victoria. Insuper & Eusebio (seu potius B. Hieronymus, qui multa ad Latinos pertinentia Chronicis ipsius interseruit) qui bellum Judaicum, Samariticumque ac Partichum cædi Albini præponit; quemadmodum etiam Orosius, Joannes Zonaras, & Hugo Floriacensis. Nec obstat, quòd Herodianus dilatum adhuc scribat bellum Parthicum, tum quòd fides major haberi debeat Latino quàm Græco scriptori, qui nullum historiæ ordinem observavit, tum quòd Spartianus postmodum iterum profectum scribat in Arabas, Parthos, & Adiabenos, & bello contra eos confecto triumphum egisse, eumdem nempè de quo infra anno Severi x. Præsertim, quum exstent & Marmorum & Nummorū inscriptiones, in quibus bis Parthicus nuncupatur.

Alte-

Altera anni XI. ejusdem in Arcu Septimij Romæ. IMP. CÆS. L. SEPT. M. F. SEUERO. PIO. PERT. AVG. P. P. PART. ARAB. PART. ADIAB. PONT. MAXI. TRIB. POTES. XI. COS. III. PROCOS. ET IMP. CÆS. M. AVREL. L. F. ANTONINO AVG. PIO, FELICI. TRIB. POT. VI. COS. PROCOS. P. P. OPTIMIS FORTISSIMISQ. PRINCIPIBVS, INSIGNIBVS EORVM VIRTVTIBVS DOMI FORIS Q. S. P. Q. R. Anni XV. altera L. SEP. SEV. AVG. IMP. XII. PART. ARAB. PART. ADIAB. AA. X. PROFECTIO. AVG. quantum apparet in Britanniam. Quantum priori partim etiam explicatur illud *quot populi propaginati?* Quemadmodum & illud: *quot ordinet illustrati?* de Ordinibus nempè seu Legionibus Militaribus, per inscriptiones annorum Seve. II. III. & IIII. istas: IMP. CÆS. L. SEV. &c. TRIB. POT. II. IMP. III. COS. II. PROCOS. P. P. Ordo CLVS, &: VIRG. DIAN. SACR. PRO SALVTE IMP. L. SEPT. SEV. &c. TRIB. POT. III. IMP. V. Ordo CLVS. ac: IMP. CÆS. &c. IMP. VIII. TRIB. POT. IIII. LEG. VII. CLVS. Historiam nihilominus nostram auspicabimur à primo Severi anno: & TERTVLLIANI jam Christiani ab anno illius tertio, dummodò quædam præmiserimus, de ejus appellationibus Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI CARTHAGINIENSIS, & proinde de ipsius gente, familia, stirpe, parentibus, patria, institutione, studijs & scriptis adolescentiæ, vitæ statu, & ætate, quum Severus Imperium inijt.

Porrò Q. (quod Auctori nostro tribuerunt jam olim Uincentius Bellovacensis, Trithemius, Politianus, & MS. cod.) Prænomen esse, norunt Antiquarii omnes, fortassis quòd quinto loco natus esset, vtpotè quem Prænomina aut ab eventu, aut ab auis, proavis, seu atavis ferè usurpari à Romanis soleant (in quorum locum hodie successerunt propria cujusque nomina) quale est & illud: QVINTA SEPTIMIA, quod inter prænomina fœminarum ab Onuphrio recensetur. SEPTIMII, gentis est appellatio, quæ apud Romanos primum Regia, deinde plebeja, postremò Consularis fuit & Patritia. Imprimis enim invenitur SEPTIMIVS MESIVS ÆQVICOLARVM REX, inde in variis Marmorum inscriptionibus partim inter Epigrammata antiquæ Urbis, partim in Orthographia Aldi Manutii, feminarum appellationes: SEPTIMIA ANNIA FL. HORATIA SEPTIMIA OCTAVILLA, SEPT. FELICISSIMA, EVRESIA SEPT. SECVNDA SEPT. EXORTA, & Ordinis Militaris virorum (quæ ad institutum magis faciunt) T. SEPTIMIVS FELICISSIMVS COHORTIS II. & L. FLAVIVS L. F. SEPTIMIVS AFER OCTAVIANVS C. V. TVRM. II. EQVIT. ROM. XVIR ST. LITIBVS IVDICANDIS; & L. SEPTIMIVS ANTIGONVS MIL. COH. VI. PR. & T. SEPTIMIVS C. F. SER. TIVIA. TR. MIL. denique L. SEPTIMIVS SEVERIANVS, & SEPT. CARITO V. P. Consularium denique virorum sub Julio Cæsare Augusto P. SEPTIMIVS, Trajano Cæsare SEPTIMIVS AGNIDINVS V. C. AGENS PER HISPANIAS V. C. P. T. VICE SACRA COGNOSCENS. sub Marco Imper. SEPTIMIVS SEVERVS, sub Imper. Vero L. SEPTIMIVS SEVERVS, M. SEPTIMII GETÆ F. postmodum Imperator, sub ipso illo Severo D. CLAVDIVS SEPTIMIVS ALBINVS, cum illo vti supradiximus Cæs. appellatus, P. SEPTIMIVS M. F. GETA illius frater, Q. SEPTIMIVS PLAVTIANVS Antonini filii ipsius socer, & (mirum de Antonino ejus filio majore natu, quòd SEPTIMII appellatione prætermiserit) P. SEPTIMIVS SEVERI. AVG. F. GETA. IMP. CÆS. AVG. De quorum gente an fuerit, etiam ipse Afer Auctor noster, non ita constat, ipse interim sibi ipsi his verbis id nominis tribuit: *Pax & gratia à Domino nostro Iesu redundet, cum* SEPTIMIO TERTVLLIANO, *cujus hoc opusculum est*; hinc & à Lactantio Instit. divin. lib. 5. cap. 1. & à B Hieron. 188. Epist. ad Fabiolam, SEPTIMIVS TERTVLLIANVS appellatur: quibus etiam consentiunt Trithemius, Politianus, & MS. excusique hactenus codices omnes. FLORENTIS cognomen familiam quidem certam gentis Septimiæ significat, sed quæ apud Romanos fuit incognita; adtribuitur tamen auctori non modò in excusis, sed & MS. cod. ac jam olim à Trithemio & Politiano. TERTVLLIANI nomine præter alios qui illius mentionem faciunt scriptores omnes, non modò verbis jam citatis, sed etiam hisce seipsum appellat, *Tantum oro, ut quum petitis, etiam* TERTVLLIANI *peccatoris memineritis, & memento in orationibus tuis* TERTVLLIANI *ad hæc exhortantis.* Quod videtur derivatitium à Tertullo, sicuti Octaviani ab Octavio, & Septimi à Septimio & stirpem significare familiæ Florentum. De qua fortassis est quæ exstat Montuni ad S. Mauritium, ac Mediolani ad S. Victorem porta Vercellensi hæc inscriptio: C. SARTORIVS L. F. OVF. TERTVLLIANVS VETERANVS, LEG. XI. CVRATOR CIVIVM ROMANORVM MOGVNTIACI, seu MVNGOTIARII. Hoc saltem constat ex Euseb. Chronico & B. Hieron. Cat. Scriptorum Eccles. TERTVLLIANVM nostrum Afrum fuisse, Centurionis Proconsularis filium, quod etiam adfirmant B. Isidorus, Ven Beda, Nicephorus, Freculphus Lexoviensis, Marianus Scotus, Ado, & Vincentius Bellovacensis. Patriam Carthaginem indicat agnomen CARTHAGINIENSIS, in quo etiam illi consentiunt, quum dicunt *Provinciæ Africæ, civitatis Carthaginensis*, sicuti & B. Optatus Milevitanus lib. 1. adu. Parmenianum, & nominatim Nicephorus, quum Carthagini in Africa ortum scribit. Quid? quòd ipse Auctor id satis superque indicet initio Libri de Pallio: *Principes* (inquit) *semper Africæ, viri Carthaginienses vetustate nobiles, novitate felices. Tamen & nobis habitus aliter olim Tunicæ fuere & quidem in fœminis, in viris autem Pallii extrinsecus habitus. Vobis verò post injuriæ beneficium, post Gracchi obscœna omnia, post trinas Pompeii aras, & longas Cæsaris moras: ubi mœnia* Stati-

Tom. 2. lib. de Vel. virg. c. ult. n. 140.

Tom. 3. lib. de Bapt. cap. ult. nu. 142. Tom. 5. lib. de Exhor. Cast. c. ult. num. 7. 4.

Statilius imposuit, sollemnia Sentius Saturninus enarravit, quum concordia juuat, Toga oblata est.
Tom. 1. lib. de Pall. c. 1. num. 2.
Pallium tamen generaliter vestram, immemores etiam, denotatis. Equidem haud miror prædocumento superiori. Nam & Arietem illa dicitur Carthago studiis asperrima belli prima omnium armasse. Quum tamen ultimarent tempora patria (en patriam Carthaginem vocant) *& Aries jam Romanus in muros quondam suos auderet, stupuere illicò Carthaginienses ut novum extraneum ingenium. Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas. Sic denique nec Pallium agnoscitur.* Hæc paulò prolixius, ob opinionem Vadiani, qui in Carta Palestinæ patriam illi adsignat Municipium quoddam juxta Aras Philenorum fratrum.

Atqui TERTVLLIANI qualis felix fuerit institutio, Libri ejus adversus Gentes testantur, qui (B.Hieron. teste Epist.ad Magnum) cunctam sæculi continent disciplinam, è quibus vel solis constat omnes illum Auctores evoluisse, Historicos, Poetas, Grammaticos; de Jureconsultis verò res notior est quàm ut probatione sit opus, de Medicis & Philosophis idipsum ex libro de Anima colligere est. Quorum omnium Catalogum in suas classes distributum reperiet Lector inter Indices nostros, tam Græcorum quam Latinorum. Hinc à Lactantio dicitur in omni genere litterarum peritus, ab Eusebio legum & rerum Romanorum peritia clarus, à B.Hieron. acris & vehementis ingenii vir eruditiss. quo nihil eruditius, nihil acutius, & eloquentissimus, à B.Augustino disertissimus, qui buccis sonantibus orationem inflaverit, à Nicephoro eloquentia admodum pollens, acris & ingeniosus admodum. Quæ omnia latius multo prosequitur Vincentius Lirinensis: Hic (inquit) apud Latinos nostrorum omnium facilè princeps judicandus. Quid enim hoc viro doctius? quid in divinis atque humanis rebus exercitatius? Nempè omnem Philosophiam, & cunctas philosophorum sectas, auctores adsertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum & studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio verò nonne tam gravi & vehementi excelluit, vti nihil sibi pænè ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere illiserit? Jam porrò orationis suæ laudes quis exequi valeat? Quæ tanta, nescio qua, rationum densitate conferta est, ut, ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat, cujus quot penè verba, tot sententiæ sunt, quot sensus, tot victoriæ. Quamquam interim experientia ipsa convicti fateamur necesse sit, quod de eo scribit Lactantius, parum esse facilem, minus comptum, & multum obscurum, & juxta B Hieronymum, crebrum quidem in sententijs, sed difficilem in eloquendo, ut non mirum sit, stilum ejus & aliorum etiam Afrorum facilè potuisse discerni à Nepotiano (vti in vita ejus testatur idem B. Hieronymus) Minutii Felicis dico, B.Cypriani, Arnobii, Lactantii, Victorini. Obscuritatis verò stili præcipuam causam adnotavit alicubi Rhenanus, quòd ex Græcorum Auctorum assidua lectione adeò Græcas loquendi formulas imbiberit, ut etiam Latinè scribens, illarum oblivisci nequiret. Et verò scripsisse eum quædam in adolescentia, atque adeò ante fidem Christi susceptam, idem B. Hieronymus locuples testis est. Nam est (inquit lib. 1. adv. Jovin.) hujus loci nuptiarum angustias describere, & quasi in communibus locis Rhetorico exsultare sermone. Certè & TERTVLLIANVS, *quum adhuc esset adolescens*, lusit in hac materia. Cujus libri argumentum & titulum idem Epist.22.ad Eustoch. recenset: Si tibi placet (inquit) scire, quot molestiis virgo libera, quot vxor adstricta sit, legas TERTVLLIANVM AD AMICVM PHILOSOPHVM. Quò fit ut castitatem, quam toto vitæ tempore usque adeò commendatam habuit, etiam jam inde ab illo observatam censeamus. Atque adeò non tam suo quàm aliorum nomine, exempli gratia, dictum intelligimus illius Auctoris: *Ego me scio neque alia carne adulteria commisisse, neque nunc alia ad continentiam eniti.* Conjugium tamen injisse TERTVLLIANVM ex Libris duobus ad Uxorem perspicuum est: fortassis quod nondum sublatæ essent Papia Poppæa & Iulia leges, quæ liberos suscipi cogebant (vti ipse fatetur) & cœlibes & orbos vetabant ex testamento solidum capere; de quibus per Severum Imp. sublatis, infrà latius. Quarum Legum constitutio præscribens matrimonii certam ætatem, utpotè juxta Platonem anni XXXV. nostram confirmat conjecturam, quod ante fidem matrimonium contraxerit, quamquam tamen liberorum ejus nulla vspiam mentio. Scribitur autem à Trithemo apud Carthaginem aliquot annis, Rhetoricam gloriosè docuisse; postea & Oratorem fuisse seu causarum Advocatum mox comprobabimus. Jureconsultum etiam fuisse constat ex variis quibus utitur, phrasibus & I. C. vocibus. Fortassis Romæ præceptore usus est Serbidio Scævola; studiorum collega & Severo Imp. & Æmilio Papiniano; ætate tamen minor Severo, qui natus fuit anno Domini CXLVI. ut quadragenarius fuerit initio Imperii illius. Inde enim ad finem usque Imperii ipsius & filii ejus Antonini Caracallæ, sub quibus Auctor floruit, anni efficiuntur XXIV. aut circiter; & sic simul constituuntur LXIII. ætatis TERTVLLIANI, à quo anno (quem climactericum uocant Medici) decrepita ætas, ad quam usque vixit, exordiri solet. Pro quo facit quod B.Hieron. & Nicephorus post mediam ætatem in hæresim Montani lapsum scribunt, nempè nostra quidem sententia circa annum ætatis ejus quinquagesimum tertium, anno Severi XV. toto ante obitum decennio. Verùm de his plus satis. Jam ad Historiam pergamus annorum illorum XXIV.

Tom. 4. operũ Tertull. To. 3. lib. de Resur. car. c. 59. n. 412. To. 2. lib. 1. & 2. ad Vxor. T. 1 Apol. c. 4. n. 52 & Tom. 5. l. de Mon. c. 16. num. 123. & 124.

Anno igitur Domini CLXXXIV. C.SOSIO FALCONE & C. IVLIO FRVCTO CLARO COS. S. Victoris filius F. Afri Romani Pontificis ann. VIII. Imp. Cæs. L. Septimii M. F.. Afri, Pii, Pertinacis, Augusti anno I. TERTVLLIANVS adhuc ethnicus causarum patronum agebat Carthagini; quod comprobatur his ipsius verbis quæ sub Pallii persona de se scripsit, jam Christianus factus: *Ego*, inquit, *nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo, nihil officio advigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria observo, cancellos non adoro, subsellia non contundo, iura non conturbo, caussas non elatro, Plus toga læsere Rempubl. quam lorica.*

To. 1. lib. de Pall. cap. 5. num. 98.

lorica. Certè ethnicum se fuisse ipse fatetur, agens de judicio extremo, vita & igne æternis, & suscitatione defunctorum: [..l. Apol. ..18.nu. ..] *Hoc*, inquit, *& nos risimus aliquando, de vestris fuimus. Fiunt, non nascuntur Christiani*. Apud Auctorem verò quædam ad annum hunc pertinentia reperire est. Imprimis de cæde Imper. P. Helvii, P. F. Pertinacis occisi v. Kal. April. illud Apologetici: *Vnde qui faucibus exprimendis palæstricam exercent? Vnde qui armati palatium irrumpunt, omnibus Stephanis atque Parthenis audaciores? De Romanis, ni fallor*, [..l. Apolo. ..n.475. ..476.] utpotè qui in foribus palatii ab armatis Prætorianis militibus interfectus sit, factione Læti præfecti prætorio, ejusdem, cujus jussu Commodus Imper. non multò antè à Narcisso athleta, cum quo ille solebat in palæstrica exerceri strangulatus fuerat. Deinde de Imper. Cæs. Aescennio Nigro, qui occiso jussu Senatus Imp. Cæsar. M. Didio M. F. Commodo Severo Iuliano Augusto, ex ante diem Kalendas Majas Imperium invaserat, illud [..n.472.] ejusdem loci: *Planè cæteri ordines pro auctoritate religiosi ex fide nihil hostilicum (adversus Cæsarem) ipso Senatu, de equite, de palatiis istis spirant. Vnde Cassii & Nigri?* [..n. 461. .. 463. .. 468. .. 470.] Quorum prius ad Avidium Cassium refertur; qui ex familia Cassiorum C. Julii Cæs. interfectorum, & Antonino Aio & Marco ac Vero Impp. principatus extorquere conatus fuit. Alterum ad Nigri conspirationem adversus Severum Imp. *Jam & solemnia Cæsarum* (qualia etiam Kalend. Juniis in auguratione nova Severi, qui antea Idibus Maii ab exercitu Imperator dictus fuerat celebrata sunt) ibidem in hæc verba describit: *Cur die læto non laureis postes obumbramus, nec lucernis diem infringimus?* Et paulò pòst: *Ipsos Quirites, ipsam vernaculam septem collium plebem convenio; an alicui Cæsari suo parcat illa lingua Romana? Testis & Tiberis, & scholæ bestiarum. Jam si pectoribus ad translucendum quamdam specularem materiam natura obduxisset, cujus non præcordia insculpta apparerent novi ac novi Cæsaris scenam in Congiario dividundo præsidentis? etiam illa hora, qua adclamant: De nostris annis tibi Jupiter augeat annos*. Hoc enim indicant Herodianus lib. 2. inter cætera scribens: Milites Prætorianos relictis armis pomparum habitu laureatos processisse; & Spartianus ac Fasti Consulares, dum 30. postquam in urbem venerat die, ex ante diem Kal. Jul. profectum scribunt Severum in Orientem contra Nigrum tyrannum, datis priùs plebi *Congiario*, & Donatio Militibus; denique & hæc numismatis inscriptio: IMP. CÆS. L. SEPT. SEV. PERT. AVG. COS. LIBERALITAS AVG. [..m. 1. l. ad ..ap. c. 4. n. .. 33. 34. .. & 36.] Quò pertinet etiam quod præmittitur: *Focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem taberna habitu obolefacere, vino lutum cogere*. Ad hunc præterea annum pertinere censemus illud lib. ad Scapulam: *Ipse etiam Severus pater Antonini, Christianorum memor fuit. Nam & Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, & palatio suo habuit usque ad mortem ejus; quem & Antoninus optimè noverat Christiano lacte educatus*. Nam morbum illi gravem contigisse initio Imperii, ex Ælio Lampr. vel inde patet, quod quum filii sui id ætatis non haberent, ut imperare possent, Severus se id in animo habuisse scripserit, ut si quid sibi fortè humanitus accidisset, Niger Pesennius & Clodius Albinus succederent; quorum ille occisus fuit anno sequenti. Et quum (sicuti infra latiùs) anno ipsius 4. Antoninus annum agens 13. Cæs. Aug. appellatus sit, oportebit huc referre, quod de illius scribit educatione Auctor. Cui simile est illud de illo Spartiani: Si quando feris objectos damnatos vidit, flevit, aut oculos avertit. Septennis puer, quum collusorem suum puerum ob Judaicam religionem gravius verberatum audisset, neque patrem suum, neque patrem pueri, neque auctorem verberum diu respexit. *Christiano verò lacte educatum*, ex eo confirmatur, quod Lugduni natus sit, ubi vigebat fides Christiana.

Anno Domini clxxxxv. IMP. CÆS. L. SEP. SER. PERT. AUG. II. ET D. CLODIO SEPT. ALBINO CÆS. II. COS. anno 9. S. Victoris Rom. Pont. & ipsius Severi II. adhuc Carthagini Causarum fuisse advocatum TERT. verisimile est. Ad hunc autem annum referri debet illud ipsius lib. ad Scapulam: *Sic, & circa Majestatem Imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani nec Nigriani vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani, sed iidem ipsi qui per Genios eorum in pridie usque juraverant, qui pro salute eorum hostias, & fecerant, & voverant, hostes eorum sunt reperti*. [Tom. 1. c. ad Scap. 2. n. 8. & 9.] Hoc enim anno Imper. Cæs. C. Pescennius Niger Justus August. occisus est apud Cyzicum, sive Isicum juxta Herodianum; quo facto mox Severus eos Senatores occidit, qui Nigri partes secuti fuerant, & cum Nigro militaverant Ducum aut Tribunorum nomine, aliosque omnes exceptis Militibus, quos impunitate proposita recepit; Antiochenis privilegia, & Neapolitanis jus civitatis eadem de causa ademit. Aliquot deindè Barbarorum Reges (juxta Onuphrium) qui Nigro fuerant auxilio, à Severo victi sunt; quare ipse IMP. II. III. & IV. appellatus est, quos omnes Nigrianos Auctor noster appellat. Quod postremum confirmat nostram sent. de Arabibus, Parthis, & Adiabenis hoc anno devictis; atque adeò huc pertinent inscriptiones Nummorum, & Marmorum antiquæ suprà citatæ; & proinde illud Auctoris: *barbari exclusi*. [Tom. 1. l. de Pall. c. 2. n. 41.] Et verò Constitutiones his Coss. editæ titulo Severi, & Antonini Augg. datæ v. Kal. Martii, xi. Kal. Maii, Nonis Julii, vi. Kal. Oct. & xi. Kal. Novemb. confirmant quod supra diximus de Antonino Imp. consorte ab initio, quæ exstant Cod. Lib. 8. T. 14. l. 1. l. 6. T. 2. l. 2. lib 2. Tit. 1. l. 2. lib. 2. T. 24. l. 1. & lib. 8. T. 16 l. 1. Ad hunc annum pertinere censemus, cujus ex Eusebio suprà meminimus, bellum Judaicum, & Samariticum, de quo etiam Freculphus Lexoviensis, unde, & Judaicum ei oblatum fuisse. [To. 1. Apol. c. 21. n. 306.] Quò videtur ex parte respicere Auctor de Judæis agens: *Dispersi (inquit) palabundi, & cœli, & soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine, sine Deo; sine Rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur*. Unde conjicio belli illius occasionem fuisse; quod Judæam vellent repetere, quia illis ab Hadriano Imp. interdictum fuerat. Huc etiam referendum quod scripsit Niceph. Eccl. hist. l. 5. c. 2. Severi imperii initio satis bono loco res nostræ fuere,

re, in diesque fidei professio augmenta sua cepit, eorum quos recensuimus Ecclesiasticorum doctorum scriptis atque doctrinis eam provehentibus, idque in maximis quibusque potissimùm urbibus; nimirum Alexandriæ, Antiochiæ, Æliæ, & per Palæstinam omnem, Ephesi, Cæsareæ, & Occidentem versus, Thessalonicæ, Athenis, Corinthi, in Galliis, & Romæ maximè. Universæ enim multitudines, & domus totæ ad fidem accedebant; quidvis facere, & pati potius paratæ; quàm ut quidquam contra religionem nostram agerent aut novarent. Qua occasione etiam recensendi hic veniunt quorum tum ille, tum Eusebius meminerunt, hujus ætatis Ecclesiastici scriptores, maximè quum ipsorum scriptis, & doctrinis haud dubiè acceptam debeat suam conversionem Auctor noster. Apud Alexandriam Demetrius Episcopus 12. ac Presbyteri Panthenus, & ejus discipulus Clemens Alexand. Antiochiæ 9. Episc. Serapio, Hierosolymorum 34. Gordius, Cæsareæ Palestinæ Theophylus Ephesius, Polycrates Ponticus, Palmas, Berillus, & Bachilus Corinthii, in Africa Carthagini Agrippinus, Lugduni Galliarum S. Irenæus, Romæ denique S. Victor Pont. Atque adeò hinc confirmatur nostra ex MS. cod. lectio apud Auct. *Quales ergo Leges istæ, quas adversum nos soli exercent impii; injusti, turpes, truces, vani, dementes; quas nullus Pius, nullus Severus impressit?* nempè usque ad id temporis quo Apologeticum edidit.

Ibid. c. 5. n. 65. 70. & 71.

Tom.2. l. de Pall. c.3. n. 41. Anno Domini clxxxxvi. Q. FLAVIO TERTULLO, & T. FLAVIO CLEMENTE COSS. S. Victoris Rom. Pont. anno x. & Severi III. *Ibid. n. 42.* TERTULLIANUS fidei Christianæ, mea quidem sententia nomen dedit, Imperio jam prorsus pacato, cum Severo imperantibus Antonino ejus filio, & Clod. Albino Cæsaribus, quod ideò *Triplex Imperium* vocat verbis suprà citatis, quò Lectorem remittimus: complura enim illic reperiuntur quæ ad hunc annum pertinent. Id tamen non initio, sed sub hujus anni finem: *eradicato jam omni aconito hostilitatis*: utpotè post excidium Byzantinum, quæ urbs, Herodiano, Zonara, & Michaele Glyca testibus post triennii obsidionem, cœptam anno I. Severi, adhuc vivente Nigro, tandem fame capta est, & libertate omni adempta Perinthiis (qui multa à Nigro passi fuerant) adjudicata est, etiam mœnibus eversis, in vici formam redacta. Cujus etiam Auct. meminit: *Cælius*, inquit, *Lapella in exitu Byzantino, Christiani gaudete, exclamavit*. Occasionem suæ conversionis ipse quantum apparet, indicat ex testimonio alicujus Dei, qui à Christianis adjuratus dæmonem se confitebatur: *Hæc testimonia* (inquit) *Deorum vestrorum Christianos facere consueverunt, quam plurimum illis credendo, in Christo Domino credimus. Ipsi litterarum nostrarum fidem accendunt, ipsi spei nostræ fidentiam ædificant.* Neque tamen inde solummodò, sed, & ex fide scripturarum sacrarum, quarum fidem dii suo testimonio adprobant. Maximè quòd illarum auctoritatem (vel ipso teste jam Christiano) summa antiquitas vindicaret, utpotè quum *omnes substantias, omnesque materias, origines, ordines, venas veterani cujusque styli, gentes etiam plerasque, & urbes insignes historiarum causas, & memoriarum; ipsas denique effigies litterarum, indices custodesque rerum; ipsos Deos, ipsa templa, & oracula, & sacra, unius Prophetæ Moysi scrinium seculis aliquot anteverterit.* Quum etiam illarum Majestatem divinarum prædictionum veritas comprobaret: *Quidquid enim*, inquit, *agitur, pranunciabatur. Quòd terræ vorant urbes, quòd insulas maria fraudant, quòd externa atque interna bella dilaniant, quòd regnis regna compulsant, quòd fames, & lues, & locales quæque clades, & frequentiæ plerumq; mortium vastant, & quòd etiam officia temporum, & elementorum munia exorbitant, quòd, & monstris, & portentis naturalium forma turbatur, providenter scripta sunt* (nempè Matth. 25.) *Dum patimur, leguntur; dum recognoscimus, probantur.* De quibus omnibus latius, & l. de Pallio c.2. & ejusdem Apolog. cap.40. quò, & ad Annotat. nostras Lectorem remittimus. Hic dumtaxat addemus, adludere illum inter cætera ad *luem* maximam Romæ, & in multis Provinciis grassantem, ac terræ motum, quo corruit Smyrna urbs Asiæ, quæ recenset Euseb. in Chronicis sub Marco, & Vero Impp. & fulmen quod sub Commodo in Capitolium ruens Bibliothecam inflammavit, & bella ejus ætatis civilia, quorum jam meminimus. Item ad *famem*, de qua l. ad Scap. in hæc verba: *Sicut, & sub Hilariano præside, quum de areis sepulturarum nostrarum adclamassent: Areæ non sint, areæ ipsorum non fuerunt: messes enim suas non egerunt.* Denique ad *portentum*, de quo ibidem: *Nam, & sol ille in conventu Uticensi, extincto penè lumine adeò portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate, & domicilio.* Et verò, scripta quoque multorum à Christo Patrum adv. Gentes illius conversioni causam dedisse sentimus, ad quæ adludit alibi, *Non nulli*, inquit, *quibus de pristina litteratura, & curiositatis labor, & memoriæ tenor perseveraverit, opuscula penes nos condiderunt, commemorantes, & contestificantes insuggillationem, & originem, & traditionem, & sententiarum argumenta; per quæ recognosci possit, nihil nos aut novum, aut portentosum suscepisse, de quo non etiam communes litteræ ad suffragium nobis patrocinentur: si quid aut erroris ejecimus, aut æquitatis admisimus.* Inter quos commemorandi Quadratus, Aristides, Anaxagoras, Melito, Theophylus Antiochenus, Apollinarius, Tatianus, Clemens Alexand. & Apollonius Senator; denique ab Auct. alicubi citati *Justinus Philosophus, & Martyr, Miltiades Eccles. Sophista, & Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus explorator.* Quibus omnibus evolvendis, & ante, & post fidem susceptam ipsum adlaborasse, vel ex Apolog. patet, in quo subinde illos ad verbum ferè imitatur. His omnibus adminiculis ad Christi fidem conversus, & jam initiatus, quum pallium Christianum indutus (sicuti antea etiam adtigimus) inconstantiæ notaretur ab amico, quòd *à Toga* transisset *ad Pallium*, Orationem habuit Carthagini (quam LIB. DE PAL. inscripsit) quà, & Pallii vetustatem, simplicitatem, facilitatem, libertatem sine cura, Philosophicam gravitatem, & sanctitatem commendat; & vitio sibi dari non debere, variis exemplis ostendit, quòd habitum verterit. Qua occasione, & libidinum varia genera, quibus natura mutetur,

Tom.1. l. ad Scap. c.3. n. 20.

ibid. Apolo. c.23. n.371.

ibid. c.19. n. 273. 274. 275. 276. 277.

ibid. cap.20. n.296.

Tom.1. l. ad Scap. c.3. n. 13.

ibid. nu. 15. & 16.

ibid. l. de testim. animæ cap.2. nu.2.

Tom.3. l. ad Valent. c.5. nu. 41. 42. & 43.

& Ma-

& Matronarum cultum indecentem insectatur, & fori Judicum, & militum vitiis, tum ambitioni, & gulæ cauterem adigit. Atqui his Coss. data Constitutio Severi, & Antonini v. Idus Martias, quæ exstat D. lib. 9. Tom. 1. lib. 1. iterum confirmat nostram sententiam de Antonino filio Imperii consorte.

Anno Domini clxxxxvii. D. DOMITIO DEXTRO II. ET L. VALERIO MESSALA THRASIA PRISCO COSS. S. Victoris Papæ Romani anno ii. & Severi iiii. TERTUL. jam Christianus, quibus se occupationibus totum dediderit, scripta ejus, de quibus postea, plus satis suo confirmant testimonio. Ex quibus imprimis constat ita versatum fuisse in sacrarum lectione litterarum, ita memoriæ omnia & singula scripturarum loca commendasse, ut vel vnica periodo subinde complura complexus sit; sicuti ex scripturarum Indice nostro collatione cum Auctore facta, facile est deprehendere. In illis autem citandis editionem sequitur ubique 70. Interpr. quod ad vetus Instrumentum adtinet juxta quod *per Esdram (vel ipso teste) constat restauratum*, idque non in Pentateucho Moysi dumtaxat, aliisque libris historicis, sed & in Prophetarum vaticiniis: *Quos enim (inquit) diximus prædicatores, Prophetæ de officio præfandi dicuntur. Voces eorum, itemque virtutes, quas ad fidem Divinitatis edebant, in thesauris litterarum manent, nec istæ nunc latet Ptolemæorum eruditiss. quam Philadelphum supernominant, & omnis litteraturæ sagacissimum: quum studio Bibliothec. Pisistratum (ut opinor) æmularetur; inter cetera memoriarum, quibus aut vetustas, aut curiositas aliqua ad famam patrocinabatur, & suggestu Demetrii Phalerei Grammaticorum tunc probatissimi, cui præfecturam mandaverat, libros à Judæis postulavit, proprias scilicet atque vernaculas script. quas soli habebant. Ex ipsis enim & ad ipsos semper Prophetæ peroraverant, scilicet ad domesticam Dei gentem, ex patrum gratia Hebræi retrò, qui nunc Judæi Igitur & litteræ Hebreæ, & eloquium. Sed ne notitia vacaret, hoc quoque Ptolemæo à Judæis subscriptum est, Septuaginta duobus Interpr. indultis; quos Menedemus quoque Philosophus de sententiæ communione suspexit. Adfirmauit hæc nobis etiam Aristæas, ita in Græcum stylum ex operto monumenta reliquit. Hodie apud Scrapæum Ptolemæi Bibliotheçę cum ipsis Hebraicis litteris exhibentur.* Quæ paulò prolixiùs citavimus, adversus eos qui auctoritatem 70. Interpr. elevare non verentur. In novo verò Testamento non tam Latinis Translatis, quàm Græcis veteribus codicibus usum Auctorem, Græcè doctissimum, ex versione ejus peculiari ab aliis omnibus multum subinde diversa, manifestum fit; quam adeò discrepantiam in gratiam Professorum sacrarum litterarum ubique adnotavimus. Quam jam olim etiam indicavit B. Ambros. sive quisque Auctor est Comment. in Epist. Pauli ad cap. 5. Rom. Constat (inquit) quosdam Latinos olim de veteribus Græcis translatis codicibus, quos incorruptos simplicitas temporum servavit, & probat. Postquàm autem discordia animis dissidentibus, & hæreticis perturbantibus torqueri quæstiones cœperunt, multa immutata sunt ad sensum humanum, ut hoc contineretur in litteris, quod homini videretur. Unde, & ipsi Græci diversos codices habent. Illud autem verum arbitror, quando, & ratio, & historia, & auctoritas observabatur. Nam hodie quæ in Latinis reprehenduntur codicibus, sic inveniuntur à veteribus posita, TERTULLIANO, Victorino, & Cypriano. Hactenus ille. At qui versabatur præterea noctu diùque Auctor noster in perscrutandis non modò quos suprà adduximus, Apologiarum pro fide Christiana Auctoribus, sed, & aliis haud dubiè Scriptoribus Ecclesiast. præter Apollonium Senatorem, & B. Victorem, Græcis omnibus. Philonem dico, Josephum (quem vocat *Antiquitatum Judaicarum vernaculum vindicem*) Apionem, & Egesippum Judæos, Clementem Romanum, ac S. Polycarpum (quorum illum *Romanorum à Petro*, hunc *a Joanne Smyneorum Episcopos ordinatos* agnoscit) S. Ignatium Antiochenum, S. Dionysium Areopag. Galliarum, Papiam Hieropolitanum, Episcopos; Agrippam Castorem, Dionysium Corinthiorum, Plinitum ac Philippum Cretenses Episcopos; Musanum, Modestum, Panthenum Alexandrinum, Rhodonem Asianum, Serapionem, & *Proculum* quemdam, quem vocat *eloquentiæ Christianæ dignitatem*, de quo posteà latiùs. Sextum denique Appionem, Candidum, Arabianum, Maximum, & Heraclitum. Quibus adjicio primos illos ceteros Pont. Rom. *in Petri cathedra successores*, quorum exstant Decretales, quorumque *cum Lino, & Cleto* Auctor meminit, *Anacletum, Evaristum, Alexandrum, Sixtum, Telesphorum, Hyginum, Pium, Anicetum.* Soterem item (quem, quòd occasio sese non offerret, prætermisit) & Eleutherum, quem *Benedictum* nuncupat. Quos omnes Græcè scripsisse, ex eodem stylo Latino, qui interpretis ejusdem videtur, censeo; ut potè, qui melius Græcè noverint, sicut etiam S. Iren. quàm Latinè. Quo fit, ut (vel Rhenano adnotante) nemo mirari debeat Græcam Auctoris loquendi consuetudinem, quum etiam si qui in Latinam linguam translati essent, mallet ex fontibus bibere (quod ajunt) quàm ex lacunis. Atqui hoc primùm anno quidam scribunt Idib. Maii die Natalitio Imperii à Severo Imper. appellatum Cæsarem August. filium ejus Antoninum, apud Viminatium priusquam in bellum contra Albinum proficisceretur. Verumtamen etiam ab initio Augustum olim fuisse nuncupatum, patet ex Rescriptis præcedentium annorum nomine Severi, & Antonini Augg. Conspirationis iterim Albini adversus Severum hoc anno factæ meminit etiam Auctor in hæc verba, *unde Cassii, Nigri, & Albini.*

Tom. 2. l. de Hab. mul. c. 3. n. 33. To. 1. Apol. c. 18 n. 263. 264. 265. & seq.

To. 1. Apol. c. 19. n. 292. Tom. 3. l. de Præsc. ad. hær. ca. 32. n. 186. & 185. Tom. 3. l. ad. Valent. ca. 5. num. 44. Tom. 4. li. 3. carm. ad. Marc. c. 9 n. 26. 27. 28. 29. Tom. 3. l. de Præf. ad hæret. cap. 38. numer. 167. To. 1. Apol. c. 35. n. 472.

Anno Domini clxxxxviii. AP. CLAUDIO LATERANO, ET M. MARIO M. F. TITIO RUFINO COSS. S. Victoris Rom. Pontif. anno 12. Severi Imper. v. TERTULLIANUM verisimile est memoriæ exercendæ gratia conscripsisse Carmine GENESIM, ET SODOMAM, immò mea sententia integram sacrorum Bibliorum veteris Testamenti historiam; ut potè quum, & prior illorum mutilus sit, & ex initio posterioris satis videatur etiam descripsisse orbis universi diluvium. Atque adeò etiam

Tom. 4. oper. Tertull.

Carmen illud AD SENATOREM EX CHRISTIANA FIDE AD IDOLORUM SERVITUTEM REVERSUM, ET LIBROS QUINQ; ADVER. MARC. CARMINE, AC DE JUDICIO DOMINI LIBRUM. Hoc verò anno ad XI. Kal. Martias Imper. Cæsar. D. Clodius Septimius Albinus Augustus prælio ab Imper. Severo victus, & occisus est; idque apud Lugdunum; quæ quòd illum antea recepisset (Herodiano teste) & direpta, & incensa est; in qua expeditione, uti ex variis Inscript. constat, Imp. VIII. IX. & X. adpellatus est. Quo jam jam expugnato, omnes imprimis Galliarum, Hispaniarum, Britanniæque proceres qui illum juverant, deinde Romam reversus amicos ejus undique conquisitos, & inter eos Senatores 40. Severus interfici jussit, tum, & eos omnes qui in Pertinacem conspiraverant. Quos adeò Auctor *Albinianos* adpellat verbis suprà citatis ad ann. Domini 195. & per aliquot annos perdurasse hanc illorum inquisitionem significat. *Sed, & qui nunc*, inquit, *scelestarum partium socii aut plausores quotidie revelantur, post vindemiam parricidarum racematio superstes*; nempè, quantum adparet, ad triumphum usque Parthicum, atque adeò nonum Severi annum, quomadmodum ibi latiùs. Alibi etiam ad Senatores occisos adludit: *Nemo non*, inquit, *etiam hominis caussa pati potest quod in caussa Dei pati dubitat. Ad hoc quidem vel præsentia nobis tempora documenta sint: quantæ, qualesque personæ inopinatos, Natalibus, & Dignitatibus, & corporibus, & ætatibus suis exitus referunt, hominis caussa: aut ab ipso, si contra eum fecerint, aut ab adversariis ejus si pro eo steterint.* Fuit autem dictorum consulum alter Lateranus tantoperè amicus Severo Imp. ut illi magnificentiss. ædes Romæ ædificaverit, quas etiamnum Palatium Lateranense appellamus, quem postea scribit B. Hieronym. in Epitaphio Fabiolæ, Cæsariano obtruncatum gladio, fortasis Antonini Caracallæ, qui in plerosque amicos patris sui animadvertit. Atqui cum his Coss. scripta sit Epist. II. S. Victoris Roman. Pontif. ad Afros Episcopos data Kal. Septemb. & Epist. S. Eleutherii Decessoris ejus V. Idib. Julii Materno, & Bradua Coss. necessariò hunc annum, non præcedentem XII. Pontif. ejus designavimus Max. quum B. Damasius in Pontif. sedisse Victorem scribat à Consulatu Commodi V. & Glabrionis, (quibus Coss. XIII. Kalend. Aug. data est prior ejus Epist. ad Theoph. Alexand.) usque ad Lateranum, & Rufinum. A Kal. autem Juniis dicti Consulatus quo die creatus Pontif. usque ad V. Kal. Augustini anni sequentis, conficiuntur anni 12. mensis 1. dies 28. Is dicta 2. Epist. discrepantiam Afrorum in Sacramentis increpans, mihi videtur ad celebritatem diei Paschæ adludere, quam Epistola priori die Dominica celebrari debere, juxta quod, & prædecessores sui statuerant, mandaverat, quæcumque incideret à XIV. Luna primi mensis, usque ad XXI. in quo fortassis initio Afri quidam cum Polycrate Asiano contrariam sequebantur consuetudinem, quamquam postea in unum consenserint. Nam de Blasto hæretico Quartadecimano, sic Auctor, *Est præterea his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter Judaismum vult introducere: Pascha enim dicit non aliter custodiendum, nisi secundum legem Moysi 14. mensis. Quis autem nesciat, quoniam Euangelica gratia euacuatur, si ad legem Christum redigit?* Ad eamdem observationem pertinet illud ejusdem: *Pascha celebramus annuo circulo mense I.* atque adeò etiam illud: *Aguntur præterea per Græcias illas certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis*: Id enim etsi generatim loquatur, existimamus potissimum intelligi de Conciliis paulo antè celebratis Palestinæ à Theophylo Cæsariensi, Ponti à Palma, Corinthio à Bachylo, & Ecclesiarum apud Osroenum, Alexandrino quoque à Theophylo, denique Asiano, in quo scribit Niceph. hist. Eccl. lib. 4. cap. ult. Patres dictam sententiam B. Victoris Concil Romani secutos esse, cui etiam consentit Concil. Galliarum sub Irenæo.

To. l. ad Sc. cap. 2. nu 8. Ibid. Apol. c. 35. nu. 478. Tom. 2. l. ad. Marc. c. ult. num. 63. Tom. 3. l. de Præsc. adv. hær. cap. 53. hær. 22. nu. 328. & 29. tom. 3. l. de Jejun. c. 14. num. 84. Ibid. cap. 13. num. 80.

Anno Domini CLXXXXIX. T. HATERIO, T. F. SATURNINO, ET C. ANNIO APP, F. TREBONIANO GALLO COSS. Sancti Zephyrini Papæ Romæ I. ac Severi Imp. VI. videtur nobis contigisse discrepatio illa TERTULLIANI cum Judæo quodam, cujus occasione scripsisse se significat LIBRUM ADVER. JUDÆOS. *Proxime accidit*, inquit, *disputatio habita est Christiano, & Proselyto Judæo. Alternis vicibus contentioso fune uterque diem in vesperam traximus. Obstrepentibus etiam quibusdam spectantibus, singulorum nubilo quodam veritas obumbratur. Placuit ergo, quòd per concentum disputationis, minus plenè potuit elucidari, inspici curiosius, & lectionis stylo quæstiones retractatas terminare.* In quo inter cetera adnotandum venit, quod de dilatatione fidei per universum penè orbem jam ab ea ætate pulchrè deducit. *In quem enim*, inquit, *alium universæ gentes crediderunt, nisi in Christum qui jam venit? Parthi, Medi, Elamitæ, &c.* sicuti legitur Act. 2. *& ceteræ gentes? Ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca Christo vero subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & provinciarum, & insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus possumus? In quibus omnibus locis Christi nomen qui jam venit, regnat.* Est, & illud de finibus Imperii Roman. tum temporis memoria dignum: *Germani adhuc usque limites transgredi non sinuntur. Britanniæ intra Oceani ambitum conclusæ sunt. Maurorum gens, & Getulorum barbaries à Romanis obsidentur, ne regionum suarum fines excedant. Quid de Romanis dicam, qui de Legionum suarum præsidiis Imperium suum muniunt, nec trans istas gentes porrigere vires regni sui possunt?* Quod ipsum adtingit de Germanis Gerodian. hist. l. 2. dum Severum electum dicit per exercitus omnes, qui in ripis Danubii Rhenique pro coercendis barbaris excubantes Rom. tuebantur Imp. Et verò hunc annum I. collocamus Pontif. S. Habundii Zephyrini, Habundii F. natione Romani, quod defuncto S. Victore, postquam sedes vacasset diebus 12. ipse creatus fuerit 4. Idus Augusti, his ipsis Coss. vel Dam. teste, qui sedisse eum scribit temporibus Severi,

Tom. 1. l. ad. Jud. c. 1. n. 1 Ibid. cap. 7. n. 29. 30. 39. 40. 41. 42. 43. & 44. Ibid. nu. 50. 51. & 52.

&

& Antonini, à Consulatu Saturnini, & Galli, usque ad Presentem, & Extricatum Consules. Quomodo interim nondum incœpta persecutione Christianorum quinta, inter Martyres S. Victor collocetur, difficultate non caret, quæ, & Eusebium, & alios Cronographos movit, ut in annum 8.9. Verùm dicta mea, & S. Damasi de utriusque temporibus sententia confirmatur per Epist. Decret. Zephyrini datas his ipsis Saturnino, & Gallo Coss. priorem 12. Kal. Octob. posteriorem 7. Idus Novemb. & in primiva Ecclesf. non fuit insolitum persecutionem à populo Rom. aut præfectis urbis initium sumere. Quid? quòd de hoc tempore id disertis verbis Auctor adserit: *Sed, & clarissimas*, inquit, *fœminas, & clarissimos utros Severus sciens hujus secta esse; non modò non læsit, verùm, & testimonio exornavit, & populo furentis in os palam restitit.* Atqui ante annum sequentem oportet latam fuisse legem Divorum Severi, & Antonini, ne quis absens puniatur, cujus fit mentio lib. 1. ff. de Req. reis; nam ad eam haud dubiè adludit in hæc verba Auctor; *Quid hic*, inquit, *Legibus deperit in suo regno dominantibus, si audiatur? An hoc magis gloriabitur potestas earum, si inauditam damnabunt veritatem?* & rursum: *quando nec liceat indefensos, & inauditos omnino damnari.*

Tom. 1. l. ad Scap. ca. 4. nu. 86. 37. & 38.

To. 1. Apol. cap. 1. nu. 9. Ibid. cap. 2. num. 21.

Anno Domini cc. P. CORNELIO ANULINO II., ET M. AUFIDIO. M. F. FRONTONE COSS. S. Zephyrini Rom. Pontif. anno II. Severi Imper. VII. quum Imper. cum filiis suis Antonino, & Geta ante discessum suum declaratis Cæsaribus Augustis, & Imper. Congiario iterum populo dato, & Donativo Militibus, in secundum bellum Arabicum, Parthicum, & Adiabenicum profecto (de quo suprà latiùs) Antistites Romani, Sacrorumque Pontif. religionem Christianam initio sumpto à *S.* Victore Pontif. persequi pergerent, TERTULLIANUS ad imitationem aliorum qui ante se id fecerant, & præsertim B. Justini Mart. APOLOGETICUM PRO CHRISTIANIS Romam misit, in quo vel Lactantio teste, penè hanc causam peroravit. Jam ante tamen discessum suum multas Leges à Severo, & emendatas, & publicatas vel ipse auctor indicat; *Nonne*, inquit, *& vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem, & squalentem sylvam Legum novit Principalium Rescriptorum, & Edictoriis securibus truncatis, & caditis? Nonne vanissimas Papias Leges* (ubi adludit ad Legem Papiam Poppæam, ita dictam à suis Legislatoribus M. Papio M. F. M. N. Mutilo, & Q. Poppæo Q. F. Q. N. Secundino Coss.) *quæ antè liberos suscipi cogunt, quàm Julia matrimonium contrahi; post tantæ auctoritatis senectutem, heri Severus constantissimus Cæsarum exclusit?* Quæ dictarum legum abolitio quomodo Severo possit adtribui, & tamen postea Constantino Imper. tribuatur, latiùs in Annotat. ad hunc locum nostris tractavimus; in quibus si placeat conjectura nostra de lib. I. D. de Stupro, & adult. qua definitur etiam in sponsa stuprum, & adulterium accusari, & vindicari posse, oportebit eam Legem his Coss. latam fuisse. Et verò pro bello secundo Parthico nondum completo, (quod his Coss. Cassiodorus etiam incœptum tradit) facit Auctor dum inter hostes Imp. Romani enumerat *Mauros, & Marcomanos, ipsosque Parthos*. Iterum verò Christianæ fidei dilatationem his verbis celebrat: *Externi sumus, & vestra omnia complevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, Senatum, Forum*, & paulo antè, quod anno præcedenti diximus de populari persecutione, confirmat: *Quotiens*, inquit, *etiam præteritos à vobis, suo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus, & incendiis? Ipsis Bacchanalium furtis, nec mortuis parcunt Christianis; quin illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos, avellunt, dissecant, distrahunt*. Eodem pertinet illud: *nec ulli magis depostulatores Christianorum quàm vulgus*, & toties citata ab Auct. popularis vox illa; *Christianos ad leonem*. Complura sunt alia in Apologetico memoratu digna; sed ne hic prolixiores simus, ad Annotat. nostras Lectorem remittimus. Hic dumtaxat addemus occasionem persecutionis ortam ex falsis calumniis, quas pulcherrimè refutat, potissimum tribus, infanticidii, sanguinis humani pabuli, & incesti: *Dicimur*, inquit, *sceleratissimi de sacram. infanticidii, & pabulo inde, & post convivium incesto; quod eversores luminum canes, leones scilicet tenebrarum, & libidinum impiarum inverecundia procurent.*

Tom. 1. lib. Apolog. cap. 4. n. 50. 51. & 52.

Ibid. ca. 37. num. 490. Ibid. n. 490. Ib. nu. 484. Ibid. ca. 36. num. ... Ibid. cap. 7. nu. 90. 91. 92. 93.

Anno Domini cc I. TI. CLAUDIO SEVERO) non autem Severo Imp. III ut quidam non rectè) ET. C. AUFIDIO VICTORINO COSS. S. Zephyrini Papæ Romani anno III. Severi Imp. VIII. quamquam Imperatore absente adhuc in expeditione Parthica, & Adiabenica, Arabibus, & Persarum Rege Abagaro in deditione anno præcedenti receptis persecutio Christianorum Romæ aliquantulum cessare videtur, fortasis Apologetici sui adminiculo: Videns tamen TERTULLIANUS, & se, & alios Scriptores Apologiis suis pro Christianis nihil aut parum profecisse ad conversionem Gentium; alio genere scripti eos adgressus, ab ipsa anima adhuc ethnica adversus idola testimonium flagitat; atque adeò LIBRUM DE TESTIMONIO ANIMÆ inscripsit: in quo urget illas vulgi voces: *Quod Deus dederit; Si Deus voluerit; Benedicat te Deus; Deus videt omnia; Deo te commendo; Deus reddet; & Deus inter nos judicabit*. Fit mihi multum verisimile hoc etiam anno conscriptum LIBRUM DE FATO, cujus fragmentum unicum exstat, & tamen ab ipso Auctore commemoratur in hæc verba: *Potestates enimuerò præsunt. Secundùm nos quidem*, inquit, *Dominus Deus, & Diabolus æmulus; secundùm communem autem opinionem, & providentia, & Fatum, & necessitas, & arbitrii libertas. Nam hæc, & Philosophi distingunt, & nos secundùm fidem disserenda, suo jam novimus titulo*. Atqui in hunc annum etiam rejicimus statum vitæ novum Auctoris, quo in Presbyterorum ordinem adlectus sit, fortasis ab Agrippino Carthaginiensi Episcopo. Eum enim alium fuisse ab Agrippino sive Agrippa Episcopo, cujus meminere sub M. Aurel. Imperat. Eusebius, & Niceph. sub M. Antonio Philosopho Imper. Zonaras, sub

Tom. 1. l. de testim. Animæ c. 2. n. 5. 6. 7.

Tom. 3. l. de Anim. c. 20 num. 266.

Antonino Vero Uspurgensis Abbas; inde mihi videtur, quòd B. Cyprianus Epist. 70. ad Januar. ex Antecessoribus suis Agrippinum fuisse significet, & B. Augustinus lib. 2. contra Donatum cap. 7. ipsum B. Cypriani prædecessorem nuncupet. Maximè quum alia esset ab Africa Ægypti provincia, in qua Alexandrinus ille Episcopatum agebat, & B. Cyprian. Epist. 71. ad Quintum scribat Agrippinum bonæ memoriæ virum, cum suis coepiscopis, (quos etiam Antecessores suos nuncupat Epist. 70.) decretum de hæreticis baptizandis fecisse. Et verò statim accepto sacerdotio continuisse Auctorem à matrimonii usu pari consensu cum sua conjuge; mihi fit verisimile ex consuetudine Ecclesiæ Latinæ, jam inde à Decreto S. Clementis P. P. maximè quum propendere eò videantur hæc ejus ad Uxorem verba. *Ne me putes propter carnis tuæ integritatem mihi reservandam de contumelia dolore suspectum, insinuare jam hinc tibi viduitatis consilium*: Item; *Tempus*, inquit, *in collecto est; superest ut qui matrimonia habent, tamquam non habentes agant. Quòd si habentes, oblitterare debent quod habent, quanto magis non habentes?* Certè id multis eo tempore fuisse usitatum, ibidem indicat: *Quot enim sunt*, inquit, *qui statim à lavacro carnem suam obsignant? Quot item, qui consensu pariter inter se matrimonii debitum tollunt? Voluntariis spadonibus, pro cupiditate cælesti saluo matrimonio, abstinentia toleratur*. Jam verò Presbyter factus, potestatis sibi concessæ, & de absoluendis Pœnitentibus, & de sacrificiis offerendis haud immemor, LIBROS DE POENITENTIA, ET DE ORATIONE conscripsit, quibus, & pœnitendi modum tum Catechumenis, tum Christianis lapsis, & quos ritus servare debeant in sacrificio fideles, præscribit. Possunt etiam in hunc annum rejici scripta, quorum B. Hieronym. meminit hodie desiderata. DE CIRCUMCISIONE, DE VESTIBUS AARON, DE MUNDIS, ET IMMUNDIS ANIMALIBUS; denique de TRINITATE; fortassis etiam LIBER DE BAPTISMO GRÆCUS; utpotè qui videatur conscriptus post Concilium Agrippini. Nam ejusdem fuisse argumenti Auctor indicat. *Sed circa hæreticos sane*, inquit, *quid custodiendum sit, dignè quis retractet? Ad nos enim editum est. Hæretici autem nullum habent consortium nostræ disciplinæ*, &c. *Sed de isto plenius jam in Græco digestum est*. Verùm de hoc, & Agrippini, & ipsius Paradoxo inter Prolegomena latiùs. Porrò hoc anno etiam oportet contigisse, quod scripsit lib. ad Scapulam anno seq. *Ceterum, & imbre anni præteriti, quid commeruerit genus humanum apparuit; cataclysmum scilicet, & retro fuisse propter incredulitates, & iniquitates hominum*. Fortassis, & illud: *Et ignes qui super mœnia Carthaginis proximè pependerunt per noctem, quid minati sint, sciunt qui viderunt, & pristina tonitrua quid sonarint, sciunt qui obduruerunt. Omnia hæc signa sunt imminentis iræ Dei, quam necesse est quoquo modo possumus, ut, & annunciemus, & prædicemus, & deprecemur localem esse. Universalem enim, & supremam suo tempore sentiunt, qui exempla ejus aliter interpretantur*.

Tom.2. l.1. ad Uxo. c.1. num. 11. Ibid. cap. 5. & 6. num. 34. ac 35. Ibid. cap.6. num.37. & 38.

Tom. 2.

Tom. 4.

Tom.3. l.de Baptis. c.15. nu. 106. & 107. Tom.1. l.ad 8.cap. c.3.n. 14. & 14.

Anno Domini CCII. L. ANNIO FABIANO, ET M. NONIO M. F. MUTIANO COS. S. Zephyrini Pontificis Romani anno III. Severi Imper. IX. quum Scapula vir Consularis Ordinis, Præses Carthaginis, & proinde Africæ Proconsul, nondum adhuc decreta ab Imperatore persecutione, immò fortassis Romæ prohibita, crudeliùs tamen cæteris Carthagini grassaretur in Christianos, LIBRUM AD SCAPULAM scripsit TERTULLIANUS. In quo imprimis benevolentiam captat à Christianorum innocentia, & non solùm oratione, sed, & sacrificiis suis pro salute Imperatoris, ex quo jam Presbyterum fuisse constat. Deinde sanguinis Christiani effusioni imputat *portenta* ejus temporis, *& exitium Byzantinum*, quorum ante mentionem fecimus, & exempla punitionis adfert, tum *Valgii Saturnini, Hilariani*, & ipsius *Scapulæ in Africa*; tum *Claudii Herminiani in Cappadocia*, Persecutorum fidei Christianæ. Post hæc hortatur ad dissimulationem ab hujusmodi causis, exemplis tum *Severi, & Antonini* Impp. supra adductis, *M. Aurel. Imper. in expeditione Germanica*. tum Præsidum, Proconsulum, *Servilii Prudentis* sub Antonino Vero Imper. *Vespronii Candidi* sub Imper. Commodo, *Cincii Severi*, qui postmodum à Severo Imp. interfectus est, *Apri* quoque, & *Arii Antonini* (hic à Lampridio Arius, ab aliis Brusius Præses, appellatur) qui sub Anton. Imper. Consules fuerunt. Denique conqueritur, quòd quum à *primordio mandatum sibi gladio tenus animadverti*, & id observaretur à *Præsidibus Legionis, & Mauritaniæ*, jussu ipsius Scapulæ etiam *cremarentur* Christiani. Quò pertinet, & illud Apolog. *Sarmentitios, & Semaxios appellatis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorem ambitu exurimur*. Ubi etiam recenset illud damnationis genus, quod ad *Lenonem damnata fuit Christ. potiùs quàm ad Leonem*. Idem LIBRO AD MARTYRAS in carcere constitutos, quem eadem tempestate conscripsit, præter *gladium, & summam ignium pœnam*, addit etiam *trucem rabiem bestiarum, & omne carnificis ingenium in tormentis*. Ubi etiam meminit consuetudinis, qua *pacem in Ecclesia non habentes*, utpote lapsi, *á Martyribus in carcere exorare consueverant*, quæ etsi sub finem vitæ jam hæreticus illam non probet, in Ecclesia permansit usque ad B. Cypriani tempora, juxta quod tractavimus in vita illius latius. Eadem omnia Martyrum supplicia repetit LIBRO DE PATIENTIA, quem etiam hujus persecutionis occasione conscripsit. Ubi fugam quoque in persecutione patientiæ bono imputat, atque adeò nondum Montanistis addictus fuit, ex quorum sententia librum de Fuga in persecutione contrarium postea, sed frustra scripsit. Et verò sub *Scapula damnatum* fuisse *ad bestias S. Manilium Adrumeticum*, disertis verbis adtestatur Auctor. Porrò Romæ hoc anno fuisse Auctorem ex illis verbis apparet: *Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romæ, de fastidio Parthorum, & Medorum, ceterorumque gentilium suorum coram matronis erubescentem, nisi quod nec ad ostensionem ferè habentur. Latent in singulis smaragdi, & cylindros vaginæ sua solus gladius sub sinu novit, & in peronibus unio-*

Tom.1. l.ad Scap. cap.2. num. 11. Ibid. cap. 3. num.13.14. 15. 16. 17. & 20. Ibid. cap.4. nu. 32. 36. 39. Ibid. nu.13. 25. 26. 27. 47. Ibid. nu.43. 44. 45.

To. 1. Apol. cap. ultim. num.619.

Ibid. numer. 628. Tom.2. lib. ad Mart. ca. 4. num.46. Ibid. cap. 1. num. 12.

Tom. 2. lib. de Patient. cap.13. nu. 88. Tom.1. lib. ad Scap. cap. 3. num.21. Tom.2. lib. de hær. mul. cap. 7. num. 50.

uniones emergere de luto cupiunt. Quod factum interpretamur in triumpho Severi Imp. de Parthis, de quo in Fastos Consulares hujus anni sic relatum invenimus: IMP. CÆS. L. SEPTIMIUS M. F. SEVERUS, PIUS, PERT. AUG. ARABICUS, ADIABENICUS, PARTHICUS, MAXIMUS, PONT. MAX. TRIB. POT. VIII. COS. II. P. P. PRO COS. IMP. XI., ET IMP. CÆS. M. AURELIUS, SEV. AUG. F. ANTONINUS, PIUS, FOELIX, AUG. TRIB. POT. III. COS. DESIGNATUS IMP. UNA DE ARABIBUS, PARTHIS, ADIBENEISQUE; ET REGE ARTABANO, TRIUMPHARUNT. Cujus triumphi etiam meminerunt Spartianus, & Herodianus. Facit pro hac nostra sententia, quòd etiam morem in Triumphis usitatum describat auctor tamquam testis oculatus:

Tom.1. l. Apol. cap. 33. nu. 456.

Hominem, inquit, *se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru, admonetur. Suggeritur enim ei à tergo: Respice post te, hominem te memento.*

Anno Domini CCIII. IMP. CÆS. L. SEPT. M. F. ARAB. ADIAB. PART. III., ET IMP. CÆS. M. AUREL. SEV. AUG. F. ANTONIN. AUG. COS. Sancti Zephyrini Papæ Romani anno IIII. ipsius Severi Imper. X. aut certè præcedenti, jam grassantibus non solum antiquis, sed, & recentioribus aliquot hæresibus, vel in ipsa Africa, edidit TERTULLIANUS verè aureum illud opus DE PRÆSCRIPT. ADVERS. HÆRETICOS, utpotè quod ante alios omnes ejusdem argumenti libros, ex Auctoris verbis scriptum constat:

Tom. 3. l. de Præscr. ad hær. cap. 45. num. 293. 294.

Sed nunc quidem generaliter actum est à nobis adversus hæreseis omneis, certis, & justis, & necessariis præscriptionibus repellendas à collatione scripturarum. De reliquo, si Dei gratia adnuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus. In eo sub finem Catalogum hæreticorum recenset qui ad id temporis Ecclesiam dilacerarunt, Beatum Irenæum imitatus, quamquam ordine temporum non satis observato, quem nos adeò, quantum fieri potuit, expressimus.

1. Ibid. num. 295. 296. 297. 298. 299.
2. Ibid. c. 46. hær. 1. 2. 3. 10. & 11. n. 300. 302. 305. 312. & 313.
3. Ibid. c. 46. hær. 3. & 4. n. 303. 304. & c. 47. hær 6. 7. 8. num. 306. 307. 308. & c. 48. hær. 6. num. 309.
4. Ibid. c. 30. n. 16. ac 267 Ibid. cap. 49. hær. 12. 13. 14. nu. 315. 316. 317. & c. 30. hær. 13. nu. 319.
5. Ibid. c. 51. hær. 16. 17. 18. & 19. num. 321. 322. 323. ac 324.

Imprimis *Judaismi* 1. *hæreticorum* genera quatuor, *Dositheum Samaritanum, Sadducæos, Pharisæos, Herodianos.* Deinde eos 2. *qui ex Evangelio Hæretici esse voluerunt* in universum numero XXV. *Simonem Magum, Menandrum, Nicolaum, Cerinthum, & Hebionem*, qui sub Apostolis suas sparserunt hæreses, atque adeò sub Tiberio, Claudio, Nerone, & Trajano. Item. 3. *Saturninum, & Basilidem, Ophitas, Caineos, Sethoitas, & Carpocratem*, sub Apostolorum discipulis usque ad Hadrianum Imperatorem. *Valentinum* deinceps, ejusque adseclas *Ptolomæum ac Secundum, Heracleonem, & Marcum ac Colorbasum*, quorum coryphæum illum *in Catholicam primò doctrinam apud Romanenses credidisse sub Hygino Papa, Antonini ferè Principatu* tradit Auctor, & *sub Episcopatu Eleutheri ob inquietam semper curiositatem, una cum Marcione semel, & iterum ejectum esse ab Ecclesia*; sectatores verò ejus sub Piis Pont. & Imper. 5. *Cerdonem* deinde ejusque discentem *Marcionem*, illiusque ex discipulis magistros *Lucanum, & Apellem*, quorum prior cum Valentino cœpit, Marcion, & alii sub Aniceto, Sotere, & Eleuthero, imperantibus Pio, & Aurelio. 6. *Tatianum*. Post hæc, quem etiam scholam suam erexisse scribit Clemens Alexand. sub annum XII. Antonini Pii. Quid? quod *Cataphrygas* quoque, in quorum hæresim postea incautus incidit, *Hæreticos* nominatim appellet? 7. *quorum quidam dicuntur* κατὰ *Proclum* (de quo infrà latius) *alii secundum Æschinem*, quibus non modò hæresin, sed, & *blasphemiam* impingit, *qua in Apostolis dicebant Spiritum sanctum fuisse, paracletum non fuisse, & paracletum plura, meliora, atque majora in Montano dixisse, quam Christum in Evangelio protulisse*, de cujus temporibus mox latius. 8. *Blastum* denique, de quo suprà; *Theodotum Byzantium*, ac *Theodotum Coriarium Melchisedechianum* sub Sancto Victore Pontifiee, & Commodo Imperatore, & *Praxeam* de quo postea, ac *Victorinum* qui illius hæresin corroborare conatus est. Fit eodem lib. etiam mentio ex Apostol. Paulo aliorum hæreticorum, nempè 9. *Phygelli, & Hermogenis, Hymenei, & Phyleti.* Item 10. *Nigidii, nescio cujus, & Hermogenis.* Sed de hoc quoque paulo post latiùs. Porrò ab eodem anno indictam persecutionem Christianorum à Severo Imper. alludit Auctor in hæc verba de Amphitheatro loquens: 12. *Illic quotidiani in nos leones expostulantur, inde persecutiones decernuntur, inde tentationes emittuntur.* Item illud: *Scire volunt scilicet tempus persecutionis, & locum tribunalis, & personam præsidis.* Aliaque complura in libr. quos infra recensebimus. Hic dumtaxat probabimus, non in annum VII. aut XI. sed in hunc potius X. imperii Severi annum, referendum dictæ persecutionis initium.

6. Ibid. c. 52. hær. 20. nu. 326.
7. Ibid. hær. 21. nu. 126.
8. Ibid. c. 53. hær. 22. 23. 24. ac 25. num. 329. 330. 331. 332.
9. Ibid. ca. 3. num. 19.
10. Ibid. cap. 30. nu. 177.
12. Tom. 2. lib. de Spect. cap. 27. nu. 129. num. 196.
Ibid. lib. de Idol. cap. 25. nu. 164.

Imprimis B. Hieronym. Cat. Script. Eccles. in Origene. & post eum Sophronius ac Nicephorus Græcus scribunt, X. Severi Pertinacis anno adversus Christianos persecutione commota, Leonidem ipsius patrem, Christi martyrio coronatum, illi verò inter primos martyres recensentur ab Eusebio hist. Eccles. lib. 5. qui Alexandriæ, ubi maximè persecutio abundabat, passi sunt. Deinde Judas ad hunc usque annum Chronographiam perduxit; quod instare putaret adventum Antichristi ob hanc persecutionem gravissimam. Denique disertis verbis Spartianus significat, non nisi post Consulatum cum filio in Syria initum (qui in hunc annum incidit) Alexandriam profectum, peregrinatione ea suscepta propter religionem Dei Serapidis: in quo (inquit) itinere, Judæos fieri sub gravi pœna vetuit; idem etiam de Christianis sanxit. Qua persecutiône passi sunt quam plurimi martyres Alexandriæ sub Læto præfecto; ac in Ægypto, Libya, & Thebaide sub Aquila tyranno, in Galliis denique SS. Irenæus, Andeolus, Benignus, Andochianus, & Tyrsus. Porrò ad hunc annum referunt plerique inscriptionem illam: M. AGRIPPA L. F. COS. III. FECIT, IMP. CÆS. M. AUR. ANTON. COS. PANTHEON VETUSTATE CORRUPTUM CUM OMNI CULTU RESTITUERUNT. Quod huc adducendum putavimus ad memoriam Ecclesiæ.

Anno Domini CCIIII. P. SEPTIMIO M. F. GETA, ET L. SEPTIMIO PLAUTIANO,

 COS.

COS. S. Zephyrini Pontificis Romani anno v. Severi Imper. xi. etsi persecutione jam vigente, non tamen destitit TERTVLLIANVS à scribendis adversus hæreses libris. Inter quos primo loco collocandum censemus DE BAPTISMO ADVERSVS QVINTILIAM, utpotè quem scriptum constat antequam aliquo modo ad heresim propendere cœpisset, ex eo quòd factionis fuerit Montanistarum *Quintilla*, à qua dictos Quintillianos, ex Epiphanio illic deduximus. An aliud quid *adversum Montanum* ipsum scripserit Auctor, non æque probari potest, sed verisimile fit, tum ex illis B. Augustini verbis lib. de hæres. Ad Cataphrygas transiit, quos antè destruxit: tum maximè ex Niceph. lib. 4. cap. 34. qui tradit Auctorem ad statam mediamque ætatem in Ecclesia Catholica Presbyterum plura adversus *Montani* dogma conscripsisse, postea verò in illius delapsum errorem, plures rursus libros pro illo composuisse. Qui quum *Montani* hæreseos historiam lib. ejusdem cap. 18. 20. 22. 23. 24. & 25. latè tractet, ex Apollinari Hierapolitano, Rhodone, Miltiade, Serapione, & Apollonio, qui adversus illum scriptis suis disputarunt, secutus Euseb. lib. 5. cap. 3. 4. 14. 15. 16. 17. & 18. nos (præter ea quæ ad lib. de Præscript. adver. hæret. annotavimus) eam, uti promissis satisfaciamus, in compendium hic redigendam putavimus. Pagus quidam esse dicitur in Mysia Phrygiæ, qui nuncupatur Ardabam, ubi ferunt quemdam *Montanum* nomine, qui nuper ad fidem venerat, Grato tum Proconsule Asiæ, primum insatiabili quadam animi cupiditate in primatu ambiendo incensum, simul atque aditum diabolo ad se patefecerat, spiritu quodam maligno abreptum, & derepentè furore & mentis insania exagitatum, peregrinas quasdam voces fundere, & contra quam Ecclesiæ consuetudo ex traditione & successione Apostolorum derivata postulabat, prophetare cœpisse. Quas etsi adulterinas voces quidam agnoscentes, ne deinceps ita garriret, increparent, inter quos Episcopi Zoticus Comanæ, sive Ostrenus, & Julianus Apameæ, & Martyres quoque Gaius & Alexander cum illo sensu ejusque insanis vatibus *Maximilla & Prixilla*, quas antea meretrices eodem spiritu dæmon impleverat, ad extremum usque spiritum communicare recusarent: Pauci tamen ex Phrygibus illi cœperunt adhærere, & Theodotus ille, de quo suprà, eius commentitiæ Prophetiæ quasi procurationem suscepit. Qui inde in Galatiam, Pontum, & Asiam progressi, etiam Alexandrum quemdam sibi adjunxerunt, convivio familiariter à Maximilla excipi solitum; Alcibiadem quemdam & Themisionem, qui falso se Confessores & Martyres Christi jactitabant. Idque (vel B. Hieron. cum illis consentiente) sub Imperio M. Aurelii Imperatoris, initio Pontificatus S. Eleutheris. Nam ad hunc ex Galliis litteras tulerat B. Irenæus, à Lugdunensibus cum litteris S. Attali, aliorumque Martyrum tum adhuc carcere conclusorum, in Asiam & Phrygiam missus, uti judicium Ecclesiæ Gallicanæ de Pseudoprophetia illorum eò perferret. Idem etiam mea quidem sententia *Romanus Episcopus, litteras pacis, prædecessorum suorum auctoritate nixus, illis recusavit*. An ad hoc cooperatus fuerit Praxeas tunc adhuc Catholicus, penes Auctorem fides esto. Certè non solùm Romæ & in Galliis Episcopi, sed etiam qui Asiam incolebant, sæpenumero & multis in locis in vnum convenientes, Prophetiam illorum falsam explorarunt, detestabilem ostenderunt, & Montanistas communione privarunt. Et verò Montanus insanæque ejus prophetides in Judæ morem suspendio interierunt, non martyrio; & Alexander ille Ephesi ab Æmilio Frontino Proconsule propter latrocinia in judicio condemnatus, quum falsò se Martyrem prætexuisset, ne à suis quidem, quia latro, receptus est. Denique Theodotus ille sublimis in cœlum à demone elatus, Simonis Magi instar, de repentè præceps delapsus, ita miserè vitam finiit. Atqui de erroribus Montani, in quos postea Auctor incidit, inter paradoxa ejus latius. Porrò hoc anno ante Kalendas Junias, ad quas incidebat annus xi. Severi, censeo accidisse quod scribit Auctor: *Agonas istos, contentiosa solemnia & superstitiosa certamina Græcorum & religionum & voluptatum quanta gratia istud sæculum celebret, etiam Africa liquit. Adhuc Carthaginem singulæ civitates gratulando inquietant donatam Pythico agone post stadii senectutem*. Nam eò pertinere videtur illa Nummi vetus inscriptio: SEVER. PIVS AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. X. sive: ANTON. PIVS, vna ex parte, & ex altera: INDVLGENTIA AVG. SC. IN CARTHAGINE; item & Græca illa: ΑΥ. ΚΑΙ ΣΕΟΥΑΡΟΣ ΠΕΡΤ. ΚΑΡΤΑΓ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΟΣ; utpotè qua significetur institutos ludos illos Carthagini à Severo & Antonino Impp.

Tom. tertio.

Lib. de Baptism. nu. 2.

To. 2. lib. de Præsc. adv. hær. cap. 52. hæres. 21. num. 327.

Tom. 3. l. ad Praxeam c. 1. n. 7. & 20

ibid. lib. ad Gnost. c. 6. n. 40. & 41.

Anno Domini ccv. L. FABIO M. F. SEPTIMIANO II. ET M. ANNIO M. F. LIBONE COS. S. Zephyrini Papæ Romani anno vi. Severi Imper. xii. partim occasione dicti Pythici agonis, aliorumque certaminum Carthagini exhibitorum, partim quod jam indicti essent Ludi Sæculares Romæ, ad quos per præcones convocari solebant omnes, utpotè qui nec spectati nec spectandi iterum forent, ut Christianos ab ea profectione deterreret, scripsit TERTVLL. & Græcè & Latinè insignem illum LIBRVM DE SPECTACVLIS, quo pulcherrimè deducit quidquid ad 4. Spectaculorum genera pertinet, ab Idololatria suam habere originem, atque adeò Christianis interdicta. Certè hoc anno, octavorum Ludorum sæcularium à Severo celebratorum non modò meminerunt, Censorinus lib. de Die natali, & Dion & Herodianus, quorum hic eos vidisse se scribit, sed etiam, testibus Fastis Consularibus: LVDI SÆCVLARES OCTAVI EX SC. FACTI, & invenitur hæc Nummi inscriptio: M. ANTONINVS PIVS AVG. SÆCVLARIA SACRA SC. Existimant etiam Arcum Severi triumphalem, qui etiamnum exstat, ea occasione hoc anno erectum, Politianus & Onuphrius, cujus inscriptionem habes suprà, quorum vterque latissimè & originem & omnes ritus Sæcularium Ludorum prosequitur. Et verò tam latè de omnibus Ludorum Spectaculis in illis exhiberi solitis Auctor tractat, ut alio Commentario Lectori curioso non

Tom. 2. l. de Spect. nu. 1. & deinceps.

ſo non ſit opus, maximè ſi conſulat & Annotationes noſtras. Eodem penè tempore conſcriptum conſtat LIBRVM DE IDOLOLATRIA, utpotè in quo & hujus libri *ac perſecutionis* meminerit, & *Solemnia Cæſarum* ad Idololatriam pertinere aſtruit, ſicuti etiam multa alia, in quibus directè conſiſtit Idolorum cultus. In eumdem quoque annum referimus LIBROS DE HABITV MVLIEBRI, & DE CVLTV FEMINARVM, quorum priori nimium ornatum, poſteriori magis capilli, & cutis curam ſuperfluam, reprehendit. Videntur eodem anno etiam conſcripti LIBRI AD VXOREM DVO. Nam quum priori à nuptiis ſecundis tantum dehortetur, & poſteriori ſaltem nuptias cum Gentilibus interdicat, apparet eos conſcriptos ante hæreſin Auctoris, fortaſſis Romæ, quò frequenter diſcurrere ſolet ſaltem ad abſentem, & quantum apparet à valetudinario, quippè qui priorem admonitionem tamquam jam moriturus *Legatum ac Fidei commiſſum* nuncupet.

Tom. 2. de Idolol. c. 13. n. 9. & c. 23. nu. 164. nu. 111. 15. nu. 11. Ibid. l. 1. ad Vxor. c. 7. n. 1. 2. & 3. lib. ad Vxor. c. 1. nu. 4. & 6. Tom. 4.

Tom. 3. & 4.

Anno Domini CCVI. IMP. CÆS. M. AVR. BASSIANO SEV. AVG. F. ANTONINO AVG. II. ET P. SEPT. SEV. AVG. F. GETA COS. S. Zephyrini Romani Pontificis VII. Severi Imper. XIII. quum hæreſes variæ graſſarentur in Africa ad ſcribendum adverſus eos ſeriò ſe contulit. Inter quos primus occurrit LIBER ADVERSUS APELLETIANOS, etſi hodie deſideratus, id eſt, *Apellis diſcipulos Marcionis ſectatores*, de quibus Auctor: *Adhuc*, inquit, *in ſeculo ſuperſunt, qui meminerint eorum, etiam proprii diſcentes & ſucceſſores ipſorum ne poſteriores negare poſſint*. Eodem anno conſcriptos putamus LIBROS ADVERSUS HERMOGENEM duos, DE MATERIA DEO COÆTERNA vnum, DE CENSV ANIMÆ EX EADEM MATERIA, alterum. Qui quo tempore diſſeminare ſuas hæreſes cœperit, non ita conſtat; attamen ex parte id ſignificare videtur B. Hieron. Catal. Script. Eccleſ. dùm contra *Hæreſin Hermogenis* primum ſcripſiſſe tradit Theophylum Antiochenum. Qui etſi ſub Imper. Vero floruerit, eidem tamen ſupervixiſſe, ex ejus lib. 3. ad Antolycum comprobatur, ubi annos & mundi, & Romani Conſulatus, & Cæſarum uſque ad obitum Veri Imper. computat. Proinde ſub Commodo potius Imper. errores illum ſuos ſparſiſſe cenſemus; qui tamen ætate Auctoris adhuc vixerit, vel eo teſte in hæc verba; *Hos* (inquit de Marcione, Valentino, & Apelle loquens jam mortuis) *ut inſigniores & frequentiores adulteros veritatis nominamus. Caterùm Nigidius neſcio quis, & Hermogenes, & multi alii, adhuc ambulant ſubvertentes vias Domini*. Et verò in Africa *Hermogenem* floruiſſe teſtis eſt Philaſtrius lib. de Hæreſ. cui auctor addit tamquam Magiſtrum aliquem *Nigidium*. Quum etiam ſupereſſent adhuc *Valentinianorum hæreticorum examina*, ducibus præter primos illos ſuprà adductos, *Theotimo, Axionico, Alexandro, & Prodico*, B. Jrenæum imitatus ad verbum penè, LIBRVM conſcripſit ADVERSUS VALENTINIANOS. De prioribus ſic auctor: *Multum circa imagines legis Theotimus operatus eſt. Ita nuſquam Valentinus, & tamen Valentiniani, qui per Valentinum. Solus ad hodiernum Antiochiæ Axionicus memoriam Valentini, integra cuſtodia regularum ejus, conſolatur*. De tertio in hæc verba; *Nam ut penes quemdam ex Valentini factione legi primò non putant terrenam & humanam Chriſti ſubſtantiam informatam*. De quo verò loquatur ſubjecit: *Inſuper argumentandi libidine ex forma ingenii hæretici locum ſibi fecit Alexander ille*. Et rurſum: *Sed remiſſo Alexandro cum ſuis ſyllogiſmis*. Denique de poſtremo duo concurrunt loci. Vnus: *Quod ſi jam tunc Prodicus aut Valentinus adſiſteret*. Alter: *Quum alius Deus infertur adverſus creatorem, tunc malè quum plures, ſecundum Valentinos & Prodicos*. Neque enim ibi legi poſſe *Proclos*, quod erat in excuſis codicibus, præterquam quòd *Proclus* ſeu *Proculus* non Valentinianus fuerit, ſed Montaniſta, à quo dicti *Cata Proclum* quidam Montani ſectatores; quum antea adhuc Catholicus adverſus Valentinum ſcripſerit. Et verò quum vocet illum auctor *virginis ſenectæ & Chriſtianæ eloquentiæ dignitatem*, videmur nobis adtigiſſe primum, quod aiunt, lapidem offenſionis, in quem ipſe impegit, dum partibus Montani favere cœpit; ſeductus, quantum apparet, admiratione quadam, tum *virginis ſenectæ Proculi*, quem tunc ſenem fuiſſe oportuit, utpotè vel eodem teſte *contemporalem hæreſiarcharum Valentinianorum, tum eloquentiæ Chriſtianæ*, quam in ſcriptis ejus deprehendit. Parum memor miſer ille, quid antea ſcripſiſſet, fortaſſis hujus tanti viri occaſione, *Solent* (inquit) *miriones iſti etiam de quibuſdam perſonis ab hæreſi captis ædificari in ruinam: Quare illa, vel ille, fideliſſimi, prudentiſſimi & uſitatiſſimi in Eccleſia, in illam partem tranſierunt? Quis hoc dicens, non ipſe ſibi reſpondet; neque prudentes, neque fideles, neque uſitatos æſtimandos, quos hæreſes potuerint immutare? Quid igitur, ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi Doctor, ſi etiam Martyr lapſus à regula fuerit, ideò hæreſes veritatem videbuntur obtinere? Ex perſonis probemus fidem, an ex fide perſonam?* Alioqui certè non eſt veriſimile in tam abſurdam hæreſin lapſum iri Auctorem, niſi ex tali quapiam occaſione, fortaſſis etiam ex frequentatione ipſius familiari, dum ſubinde Romam inviſeret; nam Romæ *Proclum* habitaſſe poſtea deducemus, maximè quum anteà blaſphemiam dixerit, *Paracletum* quem Chriſtus promiſit, in Montano primùm apparuiſſe, & tamen in ſequentibus ſcriptis non vereatur illi nomen paracleti frequenter adſcribere.

Tom. 3. l. de Præſcr. adu. hær. c. 30. n. 176. 177.

To. 3. l. adu. Valent. c. 4. n. 32. 33. ac 34. Ibid. lib. de car. Chriſti c. 15. n. 127.

Ibid. c. 16. n. 131. Ibid c. 17. n. 133. Tom. 3. lib. adv. Gnoſt. c. ult. n. 119. ibid. l. adv. Prax. c. 3. n. 35. 36. ib. l. de Præſ. adv. hær. c. 52. hær. 21. num. 327. ibid. l. adv. Valent. c. 5. num. 44. ibid. n. 40. ibid. lib. de Præſ. adv. hær. c. 3. nu. 10. 11. 12. ib. c. 53. hær. 52. n. 327. 21. & 327. Tom. 3. l. de Anima cap. 55. n. 612. & 616.

Anno Domini CCVII. NVMMIO CÆONIO ALBINO ET FVLVIO ÆMILIANO COS S. Zephyrini Papæ Romani VIII. Severi Imper. XIV. plerique paſſas ſcribunt Perpetuam & Felicitatem; idque juxta Vener. Bedam die natali Severi, quem adſignant Martyrologia Uſuardi & Romanum Nonis Martiis, illis præterea adnumerantia Revocatum, Saturninum & Secundiolum, ſimul paſſos in Mauritania civitate Thuburbitanorum. Quum autem *Perpetuæ fortiſſimæ Martyris* eo libro meminerit auctor, oportet non antè ſcriptum fuiſſe LIBRVM DE ANIMA, quam ſcripſit ADVERSUS PHILOSOPHOS ET HÆRETICOS. In quo etiam adludit ad LIBRVM DE PARADISO; quem conjicimus conſcriptum

fuiſſe

fuisse occasione eorum, quæ vidisse scribit S. Perpetuam in paradiso. Et verò, uti in hac Christianorum per Africam quoque persecutione animos fidelibus adderet, censemus eodem penè tempore scriptum LIBRVM DE SPE FIDELIVM. Quamquam interim verissimum comperiamus illud Proverbii, quòd error vnus alium trahat, utpotè quum paradoxon sit utriusque libri illius argumentum, & haud paucas præterea reperire sit opiniones non satis sanas in dicto libro de Anima, de quibus inter Paradoxa Auctoris cum Antidoto latius. Hoc vnum hic addimus, scriptum illum librum, DE OMNI STATV ANIMÆ vel ipso teste, qui adeò etiam *Commentarium animæ* nuncupat, utpotè in quo tractetur quidquid olim à Philosophis & ab hæreticis de Anima tractatum fuit, ut neque Philosophis neque Theologis alio hodie commentario sit opus.

Tom. 4. inter Fragmenta. ibid.

Anno Domini CCVIII. S. Zephyrini Romani Pontificis IX. Severi Imper. XV. M. FLAVIO M. F. M. N. AFRO ET Q. ALLIO FABIO CATVLLINO MAXIMO COS. scriptum fuisse à TERTULLIANO Librum primum adversus Marcionem ex hisce verbis constat. *At nunc quale est ut Dominus à* XII. *Tiberii Cæsaris revelatus sit, substantia verò ad* XV. *jam Severi Imperatoris annum nulla comperta sit?* Atque adeò hoc tempore simul editos fuisse oportet LIBROS DE CARNE CHRISTI ADVERSUS IV. HÆRESEIS, DE RESVRRECTIONE CARNIS, & ADVERSUS MARCIONEM QVINQVE, utpotè eodem scriptos tempore. Nam sicut etiam alibi diximus, libro de Carne Christi citatur liber quartus adversus Marcionem, libro de Resurrectione carnis II. & III. adv. Marc. & lib. I. adv. Marc. adlegatur liber de Resurrect. carnis, quo fit existimem primùm scriptos adversus Marcionem quatuor; intermedios deinde duos illos; & postremò adversus Marcionem quintum. Porrò si hoc anno, uti Onuphrius tradit, celebrata sint Decemnalia Antonini Imper. Severi filii, fortassis præoccupata anno integro ob discessum in bellum Britannicum, quem Cassiodorus his Coss. accidisse scribit; hoc etiam anno scriptus est LIBER DE CORONA MILITIS, sin anno sequenti (quòd mihi magis fit verisimile ex illa Nummi inscriptione, ANTONINVS PIVS AVG. COS. III. VOTA SOLVTA DEO) utrumque contigerit, illum referre poterit Lector, dummodò nobiscum sentiat, ante expeditionem Britannicam. Ad quam pertinet etiam inscriptio suprà posita, cum effigie Equitis manu jaculum tenentis: PROFECTIO AVGG. nam utrumque filium secum duxit Severus, à quo quum P. Septimius Geta anno primum sequenti Imper. Cæs. Aug. sit appellatus, & Tribunitiam potestatem acceperit, sicuti Fasti habent Consulares, confirmatur dicta nostra conjectura. Conciliari quidem possunt Inscriptiones & fasti consulares cum Onuphrio & altera quadam Inscriptione, ubi appellatur Antoninus Aug. Trib. Pont. Max. Coss. III. desig. ut dicatur cœptus ejus annus X. his Coss. ad Kal. Majas, & finitus anno sequenti Kal. Maiis: sed nos ad annum sequentem referre malvimus, ne hic prolixiores simus.

Tom. 3. l. de Resur. car. c. 2. nu. 25. & c. 45. nu. 320. Tom. 3. lib. adv. Mar. 1. c. 15. nu. 10. Tom. 3. l. de car. Christ. cap. 7. n. 65. Lib. de Res. car. c. 2. nu. 19. & 20. Lib. 5. adv. Mar. c. 10. num. 150. Tom. 2. l. de Cor. milit. c. ult. n. 205. ibid. n. 4. 5. 6. 8. 9. 10. 12. 14.

Anno Dom. CCIX. S. Zephyrini Papæ Romani X. Severi Imper. XVI. Imp. CÆS. M. AVREL. SEVERI AVG. F. ANTONINO AVG. III. ET P. SEPTIMIO SEVER. AVG. F. GETA COS. post celebrata Decemnalia Antonini Romæ, à TERTVLLIANO scriptum censemus LIBRVM DE CORONA MILITIS. Romæ enim scriptum apparet ex verbis illis: *Erubescite Romani commilitones ejus*, & ad Decemnalia videtur referendum illud libri frontispicium: *Proximè facta est* LIBERALITAS *præstantissimorum* IMPERATORVM, cui subjicienda putavimus quæ sequuntur, eò quòd occasionem scripti hujus libri indicent, utpotè in quo, contra quàm alii mussitabant, Christianis coronæ usum interdictum deducit. *Expungebantur* (inquit) *in castris Milites laureati, Adhibetur quidam illic magis Dei Miles, solus libero capite, coronamento in manu ocioso. Singuli designare, eludere eminus, infrendere cominus in nostrum. Tribuno defertur, & persona jam ex ordine accesserat. Statim Tribunus: Cur* (inquit) *tam diversus habitu? Negavit ille cum ceteris sibi licere. Causas expostulatus, Christianus sum, respondit. Suffragia exinde, & res ad Acta, & reus apud Præfectos. Ibidem penulas posuit, speculatoriam pedibus absolvit, gladium reddidit:* (nam militaria omnia insignia in exautoratione militum exui solere, vel ex Herodiano lib. 2. manifestum est, initio Imperii Severi.) *Et nunc russatus sanguine suo, donativum Christi in carcere exspectat. Exinde sententiæ super illo, nescio an Christianorum* (*non enim aliæ ethnicorum*) *ut de abrupto & præcipiti & mori cupido, qui de habitu interrogatus, Nomini negotium fecerit.* Nec verò omittendum illud; *Planè superest; vt etiam martyria recusare meditentur. Mussitant denique tam bonam & longam sibi pacem periclitari. Nec dubito quosdam scripturas emigrare, sarcinas expedire, fuga accingi de civitate in civitatem. Novi & pastores eorum in pace leones, in prælio cervos. Sed de quæstionibus confessionum alibi docebimus.* Denotat enim ibi aut librum de Fuga in persecutione, aut quod magis placet, SCORPIACON ADVERSUS GNOSTICOS (nempè *Prodicum Scorpianum*, & alios *Valentinianos Martyriorum refragatores*, qui jam in Africam irrumpere cœperant: de quibus videat Lector Annotat. nostras) fortassis etiam Romæ scriptum. In eo enim & *de quæstionibus confessionum*; id est, quòd confiteri Christum necesse sit, latissimè deducit, & persecutionem omnium gravissimam, quæ dicta occasione post longam pacem (utpotè quum Romæ & in Africa ad id temporis pauci legantur sub Severo passi martyres) recruduisse videtur, his verbis describit: *In præsentiarum est medius ardor, ipsa canicula persecutionis ab isto scilicet cynocephalo* (ubi aut Severum Imperatorem, aut potius urbis Romæ præfectum in absentia illius jam in Britanniam profecti, intelligit) *alios ignis, alios gladius, alios bestiæ Christianos probaverunt, alii fustibus insuper & ungulis degustato martyrio, in carcere esuriunt.* Porrò Severum propterea absentem in Britannia diximus, quod expeditionis Britannicæ hoc anno, uti antea probavimus, factæ meminerint Euseb. in Chronic. Oros. lib. 7. cap. 11. Paulus Diaconus lib. 8.

ibid. nu. 16. 17. 18. & 19.

Lib. adv. Gnost. nu. 1. & c. 1. n. 33.

ibid. c. 1. nu. 11. & 12.

To. 1. l. adv. Iud. c. 7. nu. 43. ibid. n. 50.

lib. 8. cap. 1. & antè eos Spartanus, Herodianus, & Dio in Severo. Nondum enim Britanniam Romanis paruisse ad id usque temporis, etiam ipse verbis his supra citatis indicat: *& Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo verò subdita*, utpotè Lucio Britanniarum Rege paulò antè ope S. Eleutheri Papæ ad fidem converso, item etiam illis: *Britanniæ intra Oceani fines conclusæ sunt*.

Anno Domini ccx. S. Zephyrini Romani Pontificis xi. Severi Imper. xvii. M. AVRELIO
Lib. de Vel. Virg. c. 1. n. 1. & 3. CLAVDIO M. F. POMPEIANO, & LOLLIANO AVITO COSS. Romæ adhuc existens TERTVLLIANVS, scripsisse mihi videtur LIBRVM DE VELANDIS VIRGINIBVS, quem Græcè quoque scriptum esse his fatetur verbis: *Proprium jam negotium passus meæ opinionis, Latinè quoque ostendam, virgines nostras velari oportere*. De quo argumento anno sequenti latius.
Tom. 3. l. ad Prax. c. 1. n. 5. 6. 12. 13. 14. 15. 16. & 17. Scripsisse etiam verisimile est paulò pòst jam Carthaginem reversum, LIBRVM ADVERSUS PRAXEAN, de quo auctor: *Iste*, inquit, *primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romanæ humo, & aliàs inquietus; insuper & de jactatione Martyrii inflatus, ob solum & simplex & breue carceris tædium. Fruticaverant auenæ Praxeanæ hic quoque* (nempè in Africa) *superseminatæ, traductæ dehinc per quem Deus voluit* (quantum apparet *Zephyrinum* Papam, utpotè de quo tale quid tradat B. Opt. Milevit. lib. 1. contra Parmenian.) *etiam evulsæ videbantur. Denique caverat pristinam doctor de emendatione sua, & manet chirographum apud Psychicos, apud quos tunc res gesta est, exinde silentium. Avenæ verò illæ ubique tunc semen excusserant. Ita aliquandiu per hypocrisin subdola vivacitate latitavit, & nunc denuò erupit*. Ex quibus verbis satis patet, & revocasse suam hæresin aliquando Praxean disputatione alicujus emendatum, sed iterum relapsum denuò erupisse; & dum hic liber scribeetur, adhuc supervi-
Ibid. n. 8. & 11. xisse. Quamquam interim, si verum sit quod addit de Montani Prophetia ejus ope expulsa, quandoquidem illum floruisse constet sub S. Eleuthero Papa, oporteat jam senem fuisse Praxean. Nos certè vix dum in eo quod dictum est, Auctori fidem adhibendam putamus; tum quòd S. Pacianus hæc vera scribat de hæreticis secundùm Phrygas. Et primùm hi pluribus nituntur Auctoribus. Nam puta Græcus Blastus ipsorum est; Theodotus quoque & *Praxeas* vestros aliquando docuerunt, tum, quod ipse Auctor, præter quam quòd illic subjungat tanquam discipulos *Blastum*, *& Theodotum*, & *Praxean*, cum *Victorino*, illis qui *secundùm Æschinem pronuntiabantur*, eamdem hæresin adtribuit, & hoc libro impugnat.

Anno Domini ccxi. S. Zephyrini Papæ Romani xii. Severi xviii. M. Acilio M. F. M. N. FAVSTINO. ET C. CÆSONIO C. F. MACRO RVFINIANO COSS. completum fuit, quod scribunt post auctores supracitatos Cassiodorus in Chronico, & Ven. Beda histor. Eccles. lib. 1. cap. 5. de Severo, quòd vallum crebris turribus communitum in Britannia, per centum & amplius millia passuum de mari ad mare perduxerit, ut partem provinciæ graviss. præliis receptam à ceteris faceret securiorem. Pro quo facit etiam lex Severi & Antonini Augg. Eboraci lata hoc Consulatu Non. Maii, quæ exstat Cod. lib. 3. Tit. 52. lib. 1. Certè tunc primum leguntur Inscriptiones quibus appellatur Severus BRITANNICVS MAX. TRIB. POT. XVIII. ac Antoninus BRITANN. TRIB. POT. XIII. IMP. II. COSS. III. denique & illa: P. SEPT. GETA, PIVS AVG. BRIT. TRIB. POT. III. COSS. II. vno ex latere, & ex adversa parte: VICTORIÆ BRITAN. Utpotè quum tertius fuerit dumtaxat iste annus, ex quo Geta Tribunitiam potestatem cum cæteris Imperij insignibus acceperat. Porrò hoc ferè anno contigisse censemus, quòd de TERTVLLIANO scribunt S. Hieron. Sophronius Catal. Script. Eccl. ac Niceph. lib. 4. cap. 12. ac 34. Quum usque ad mediam ætatem in Eccl. Catholica presbyter permansisset, ad Montani dogma delapsum. Verumtamen magna est difficultas, quomodo scribat B. Hieron. id factum invidia & contumeliis Clericorum Rom. Eccl. ac Sophronius φθόνῳ καὶ προπιλακισμοῖς τῶν κληρικῶν τῆς ἐν Ρώμη ἐκκλησίας, & inerpretes Nicephori, propter Cleri Romani inuidiam: præsertim quum de eo nusquam conqueratur Auctor etiam in lib. advers. Ecclesiam scriptis, maximè quum caussam illam reticens Vincentius Lirinensis, etsi B. Hieron. posterior, non aliud dicat, quàm TERTVLLIANVM Catholici dogmatis & vetustæ fidei parum tenacem, ac disertiorem multò quàm feliciorem, mutata sententia in errorem delapsum, magnam fuisse in Ecclesia tentationem. Quem imitatur Abbas Trithemius. Est quidam qui invidiæ caussam fuisse putet auctori eloquentiam. Rhenani conjecturam, quantumvis suspectam, sequuntur etiam Catholici quidam, qui suspicantur illum quum initio favere, cœpisset hæresi Montani, statim Ecclesiæ communione privatum priusquàm se totum dederet; quare commotus ille prorsus in Montani partes transierit. Verùm non video quomodo Excommunicationem Ecclesiasticam, quam auctor *divinam censuram & futuri judicii præjudicium* *Tom. 1. Apolog. c. 39. n. 502.*
appellat; B. verò Hieron. Ep. ad Hel. ante diem judicii judicium, quo ejectus de Ecclesia rabido dæmonis ore discerpitur, non solùm invidiæ (quam pro zelo etiam in sanctos agnoscit idem B. Hieronymus Epist. ad Damas. de prodigo & frugi filiis) sed & contumeliarum nomenclatura ipse traduceret. Nos itaque, si quid in re incerta divinare liceat, conjicimus *Tertullianum* post obitum Agrippini, in obtinendo Episcopatu Carthaginiensi repulsam passum fortassis invidia Clericorum quorumdam Ecclesiæ Romanæ, à quibus proinde etiam contumeliis adfectus, ad partes Montani desciverit. Certè fomitem illis invidiæ *Tom. 2. l. de Spect. c. 25. n. 187. 188. 189. 190. & 191.*
administrare potuerunt loci aliquot in libris præcedentibus; quibus tacitè quorumdam Clericorum, fortassis Romanorum vitia reprehendit, non aliter atque postmodum BB. Hieronymo & Paulino accidit eadem de causa; imprimis de frequentatione spectaculorum: *Sed Tragœdo*, inquit, *vociferante, exclamationes ille* (nempè aliquis de Clero) *alicujus Prophetæ retractabit. Inter effeminationis modos, Psalmum secum comminiscetur; & quum athletæ agent, ille dicturus est*, *Ibid. lib. de Idol. c. 7. nu. 28. 29. 30. 31. 32. 33. & 34.*

reper-

Ibid. lib. de Cor. milit. c. 1. nu. 16. & 18. *repercutiendum non esse; poterit & dei misericordia moveri defixus in morsis ursorum, & spongias retiariorum. Auertat Deus à suis tantam voluptatis exitiosæ cupiditatem. Quale est enim, de Ecclesia Dei in Ecclesiam diaboli tendere? de cœlo (quod aiunt) in cœnum? illas manus quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando histrionem defatigare? Ex ore quo Amen in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere? εἰς αἰῶνας alii omninò dicere, nisi Deo Christo?* Item illud in Artifices Idolorum: *Tota*, inquit, *die ad hanc partem zelus fidei perorabit ingemens Christianum ab Idolis in Ecclesiam venire, his manibus adorare, quæ foris adversus Deum adorantur, manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit, si ab aliis manibus accipiant quod contaminant, sed ipsæ tradent aliis quod contaminaverunt. Adleguntur in ordinem Ecclesiasticum Artifices Idolorum. Proh scelus! Semel Iudæi manus Christo intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacessunt. O manus præscindenda!* Rursum illud de Pastoribus in persecutione fugientibus: *Planè superest vt etiam martyria recusare meditetur, qui Prophetias ejusdem Spiritus sancti respuit. Novi & Pastores etiam eorum in pace leones, in prælio cervos.* Denique de Velandis Virginibus: Ib. l. de Vel. Virg. cap. 2. num. 19. *Illam consuetudinem, quæ virgines negat, dum ostendit, nemo probasset, nisi aliqui tales, quales virgines ipsæ. Tales enim oculi volent virginem visam, quales habet virgo quæ videri volet. Invicem se eadem oculorum genera desiderant. Ejusdem libidinis est videri, & videri.* Auctor Commentarii S. Ambrosio adscripti in Epist. Pauli videtur interpretari invidiam illam, quasi fuisset ipsius auctoris in Clerum Romanum. Sic enim, inquit, Per invidiam charitatem corrumpentes, scientiam ad nihilum deduxerunt. Nam & *Tertullianus* & *Novatianus* non parvæ scientiæ fuerunt, sed quia per zelum, charitatis fœdera perdiderunt, in schisma versi, ad perditionem sui hæreses creaverunt. Ex quibus verbis fit etiam verisimilior mea conjectura ex eo, quòd ob repulsam Episcopatus Rom. in schisma & hæresin inciderit *Novatianus*. Porrò si excommunicatus fuerat, justissimis profecto de causis, etiam fortassis in absentem eam tulit B. Zephyrinus Pontifex. Primum enim in lib. omnibus scriptis circa 14. Imperii Severi annum, *Paracleti novæ Prophetiæ frequenter, Spiritus sancti* etiam Montanici verbis jam citatis meminit, sicut etiam *mulieris Prophetidis* subinde, modò *Priscillam*, modò *Maximillam* significans; & similiter de *Ecstasi*, habet non pauca, locis citatis inter Paradoxa Tom. 3. l. ad Prax. c. 1. n. 7. 8. 10. auctoris. Deinde *Psychicos* quoque, id est, *animales* appellare cœpit Catholicos, tum advers. Marc. tum advers. *Praxean*, sicut etiam ibi latius. Postremò omnia illa simul conjugens lib. adv. Praxean, *Romanum Episcopum*, quantum apparet, *Eleutherum* calumniatur, tamquam qui agnoscens jam *Prophetias Montani, Priscæ & Maximillæ, ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ & Phrygiæ inferre paratus fuerit, nisi Praxeas falsa* (perperam inquit) *de ipsis Prophetis & Ecclesiis eorum adseverando, coegisset litteras pacis revocare jam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum concessare.* Ibid. nu. 11. To. 3. Scor. ad. Gnost. c. 1. num. 10. Et insuper *diaboli negotium* procurasse dicit, *qui prophetiam expulit, & paracletum fugavit.* Certè ipse Auctor Excommunicationem in hæreticos adprobat non vno in loco.

Anno Domini CCXII. S. Zephyrini Papæ Romani XIII. M. Aurelii Antonini Bassiani Pii Felicis Augustini Britannici Germanici Imperii I. Q. ELPIDIO L. F. RUFO LOLLIANO GENTIANO, ET POMPONIO BASSO COSS. conscriptum censemus TERTULLIANI LIBRUM DE FUGA IN PERSECUTIONE. Tom. [illegible] Idque ante decessum Imper. L. Sept. Severi Pertin. Augustini qui eo anno pridie Nonas Febr. Eboraci mœrore magis quàm morbo mortuus est (in hoc adeo punitus à Deo juxta Orosium lib. 7. cap. 11.) nondum elapso anno Imperii sui 8. utpotè quum ab Idibus Maiis anni Domini 194. ad dictum usque hujus anni diem computantur dumtaxat anni 17. menses 8. dies 21. quòd fit ut hunc ann. 1. Anton. faciamus. Aut saltem ante reditum Antonini ex Britanniis cum fratre suo P. Sept. Geta Felici Augustini Britannico Imperii consorte, adhuc durante persecutione quam ipse (utpotè *lacte Christiano* imbutus, sicuti suprà ex Auctore diximus) vel Severo Tom. 1. l. ad Scap. cap. 4. num. 36. Sulpitio teste; Sacræ hist. libro 2. cessare fecerit, utpotè qui scribat ab obitu Severi ad Decium usque pacem Ecclesiis fuisse, præterquàm quòd à Maximino in Episcopos sævitum fuerit; quam adeò longam pacem appellat B. Cyprian. lib. de Lapsis. Quamquam interim edicta Severi adhuc aliquandiu viguisse ex his Auctoris verbis videantur: *Nisi fortè in Senatusconsulta & Principum mandata coitionibus opposita delinquimus.* Hunc quum contra Ecclesiam Christum adserant, ubi suprà, B. Hieronymus, Sophronius, & Nicephorus, verisimile fit *Fabium* illum Romanum fuisse Presbyterum. Tom. 5. l. de Ieiun. c. 13. nu. 79. to 3. l. de Fuga in persec. c. 21. n. 78. & ibid. c. 5. nu. 41. Certè quòd aliquo ministerio Ecclesiastico functus sit, colligere est ex verbis illis: *Sed quum ipsi Auctores, id est, Diaconi, Presbyteri & Episcopi fugiunt, quomodo laicus intelligere poterit?* Quibus interim quando (contra quàm sentit Auctor) fugere liceat, in Annotationibus nostris latiùs. Meminit in eo etiam *Rutilii sanctissimi Martyris*. Porrò, & sub Severo haud dubiè referri debet, quod scribunt Euseb. & Nicephor. de Origenis prima persecutione, maximè apud Alexandriam, antequàm sese ipsum castraret. Atque ad intellectum Auctoris facit, ubi dicit: *Maledictum esse ante ἀποθέωσιν Deum Cæsarem nuncupare*; To. 1. Apol. c. 34. n. 459. id quod latè recenset Herod. lib. tertio de ritu observato in relatione Severi Imper. post mortem in Divos, per filios Romæ factæ, postquam cineres ex Britannia secum allatos in urna alabastrina juxta illum, aut ærea juxta Spartianum, in sepulchrum Antonini sunt illati. Hic præterea prætereundum non putavimus, quod quum pridie Non. Februar. perierit Severus, castigari deberent leges duæ Codicis, altera lib. 6. Tit. 45. lib. 1. ut legatur v. Kal. Febr. pro Ianuarii: altera ejusdem l. Tit. 37. l. 3. uti soli Antonino Aug. adscribatur, non Severo & Anton. Augg. utpotè quum lata sit VI. Kal. Maii, diu post illius obitum, maximè quum exstet lex Antonini solius Kalend. Maiis lata, & aliæ plures his Coss. latæ.

Anno

Tertulliani Vita.

Anno Domini CCXII. S. Zephyrini Romani Pontificis XIII. Antonini Imper. II. M. POMPONIO M. F. ASPRO ET ASPRO COS. sive duobus Aspris, quibus Coss. Leges Antonini variæ datæ leguntur (quorum seniorem eumdem illum censemus, de quo suprà ad annum CCII.) solus Antoninus (testibus Herodiano & Spartano) fratre Geta ad pectus suæ matris interfecto, postquàm imperavit annum unum, dies 21. ac sepulto in septizodio (quod à septem zonis cœli ita dictum Severus, vel Euseb teste, ædificaverat,) ac in Divos relato Imperium usurpavit. Insuper & alios plurimos, quantumvis patri sibique antea carissimos, neci tradi jussit. inter quos commemorandi veniunt Papinianus ille, ejus ac Juliani & Tertyliani I. C. præceptor, Juris Asylum cognominatus à Spartiano, & Sammonicus Serenus, cujus libros plurimos exstare ille scribit, Gordiani posteà Cæsaris pædagogus. In hunc annum referimus LIBRUM DE EXHORTATIONE CASTITATIS, ut potè quem Nicephorus lib. quarto capite 54. inter eos recenset, qui contra Ecclesiam Catholicam conscripti sunt, & in quo eò dementiæ videtur venisse, *ut apud tres etiam laicos*, ut potè Montanum & insanas ejus Prophetides Priscam & Maximillam, esse Ecclesiam existimet, quemadmodum latiùs idipsum alibi inculcat. Huic etiam anno adplicamus disputationem illam Caij Scriptoris Ecclesiastici adversus Proclum, cujus meminerunt Euseb. lib. sexto capite decimo-quarto; Beatus Hieronymus, Caio, & latius in hæc verba Nicep. loco jam citato: Floruit, inquit, sub Zephyrino Romæ Episcopo, Cajus, Antonino Severi filio imperante. Is adversus *Proclum* Montani propugnatorem dissertationem copiosissimam habuit & composuit, temerariæ audaciæ quòd novam introduxerit Prophetiam, illum redarguens & confutans. Quam quidem nos aliquando existimavimus ansam dedisse Auctori ad Montani partes deficiendi; quod verisimile sit in *Proclum* hac disputatione convictum, nec resipiscentem, à Zephyrino Excommunicationem latam fuisse, & omnes ejus asseclas, inter quos hauddubiè Auctor, utpotè Montanistarum κατ' *Proclum* sectator, non eorum qui secundùm Æschinem dicebantur, contra quos egit libro adversus Praxean. Verùm jam anteà illum deficere cœpisse, immò contra Ecclesiam scripsisse, ex superioribus manifestum fit. Fortassis etiam hoc tempore contigit Origenis discipuli Clementis Alexandrini & Ammonii Romana sub Zephyrino profectio, cujus meminerunt Eusebius & Nicephorus, quorum ille lib. 6. cap. 12. caussam illius eam scribit, quòd in optatis illi esset antiquissimam illam Ecclesiam invisere. Quod tempore etiam alii Ecclesiastici scriptores ab illis enumerantur, Berillus Arabiæ Bostrenus, Hippolytus juxta quosdam, Portuensis, Alexander primum Cappadociæ, deinde Hierosolymorum Episcopi, quibus interserit B. Hieron. etiam Minutium Felicem, qui Apologeticum Auctoris per multa imitatus est.

Tom. 5. lib. de Exhort. castit. cap. 7. num. 40. lib. de Pudic. cap. 21. num. 191.

Anno Domini CCXIII. S. Zephyrini Papæ Romani XV. Antonini Imper. III. IMP. CÆS. M. AVREL. DIVI SEVERI. F. ANTONINO AVG. BRITAN. GERMAN. L. III. ET P. CÆLIO P. F. BALBINO II. COSS. ipse Antoninus Imp. Trib. potest XVI. de Britannis triumphavit. Quo anno à TERTULLIANO scriptum existimamus etiam adversus Ecclesiam LIBRUM DE MONOGAMIA. In eo inter cetera sic legitur: *Quum magis nunc tempus in collecto factum sit, annis circiter clx. exinde productis*. Quos qui à Passione Domini computandos voluerit, tota via aberrare ex superioribus plus satis manifestum est, etiamsi, juxta erroneum calculum Auctoris à passo Christo usque ad devastationem Hierosolymorum anni dumtaxat computarentur 22. quos alii ennumerant 25. quia usque annum præsentem non solum 160 sed producti essent 188. Sunt etiam qui ab Apostolis hunc computum ineant: eo quòd præmittatur, *post Apostolos*, in qua sententia & nos fuimus, quum Annotationes nostras in eum scriberemus locum. Verùm SS. Petrus & Paulus primum passi sunt anno Neronis ultimo, qui in annum incidit Christi 69. à quo adhuc non nisi computantur anni 146. & S. Joannes Evangelista vixit ad Trajanum usque, mortuus primum anno circiter 100. vnde non plures sunt anni quam 114. Propius accedunt, qui ab Apostoli Pauli ætate computant annos illos *circiter* clx. quorum sententiæ accedimus: sed quia ille primum martyrio adfectus cum Apostolo Petro (uti jam dictum est) censemus ab eo tempore numerandos quo Epistolam scripsit priorem ad Corinthios, ab anno nempè Domini circiter LIIII. Imprimis enim scriptam Epistolam vtramque ad Corinthios, postquàm ab ipso ad fidem esent conversi, ex eisdem fit manifestum; quæ conversio contigisse putatur anno Domini 51. quum ibi hæsit ad annum & menses sex. Deinde si Ephesi scripta sit (sicuti quidam & rectiùs habent Græci codices) ex historiis Peregrinationis Pauli satis patet dicto anno, qui incidit in duodecimum Claudii Imperatoris, Ephesi illum habitasse. Sive ex Philippis (quod plures præ se ferunt & Latini & Græci codices) certè anno 55. per Philippos iter fecisse, postquam Epheso discesserat, sub festum Paschæ, testatur Acta Apostolorum capite vigesimo. Et verò sic intelligi debere auctorem, vel ex illis dictis verbis colligitur quæ leguntur I. Corinth. 7. *Quum nunc tempus in collecto facto sit*. At qui in hunc annum hoc incidere, non in XV. Severi (uti quidam etiam viri eroditi conjecturam faciunt) ex eo perspicuum est, quòd ille idem sit cum anno Domini CCVIII. ad quem proinde ab eo, quem diximus, non nisi anni clv. conficiuntur, nec ulterius extendi possunt, quod anno primum 51. fidei catholicæ initiati fuerint Corinthii. Porrò fuit hic annus nobilitatus Consulatu trium Imperatorii Ordinis virorum; nam præter Antoninum, & Balbinum, qui quartus ab illo imperavit, cum Pupieno, etiam suffectus fuit ex Kalend. Martiis M. ANTON. M. F. GORDIANVS, qui posteà Imperat. Cæs. Aug. appellatus, à Balbino interfectus fuit, sicut rursum ex Kalend. Maiis P. Helvius D. Pertinacis F. P. N. Pertinax paulò pòst occisus ab Antonino.

Tom. 5. l. de Monog. c. 3. num. 17.

Anno

Anno Domini ccxv. S. Zephyrini Romani Pontificis xvi. Antonini Imper. III. SILIO MESSALA ET Q. AQUILIO SABINO COSS. Imperator ex expeditione Gallica, cujus Spartianus meminit, Romam reversus, à vestis talaris genere inde allatæ, quam plebi distribuit, vt eo vestitu sese salutaret, Caracalla nuncupatus est. Hoc ferè anno scriptum censemus à TERTULLIANO etiam adversus Ecclesiam, LIBRUM DE IEJUNIIS ADVERSUS PSYCHICOS, Ex quo imprimis fit verisimile, cum *Proclo* reliquisque Montanistis post dictam disputationem, etiam TERTULLIANUM à Papa Zephyrino excommunicatum fuisse, ex verbis inquam illis: *dum quaqua ex parte anathema audiamus, qui aliter adnunciamus*. Deinde varia tum fuisse celebrata per Græcias Concilia, ita testatur: *Aguntur præterea per Græcias illas certis in locis Concilia ex vniversis Ecclesiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur. Conventus autem illi stationibus prius & iejunationibus operati.* Quæ maximè contra Montanistas convenisse, vel inde mihi colligere videor, quòd etiam in Episcopos quosdam ea hæresis cancri in morem serpere cœpisse videatur, ex his Auctoris *Hæc erunt exempla, & populo, & Episcopis etiam spiritualibus*; nam spiritales Montani asseclas Psychicis (ita Catholicos calumniosè appellat) opponit. Porrò si vera sit lectio apud beatum Hieronymum Epistola quinquagesima quarta ad Marcellam de Montanistis, quòd illi tres in anno Quadragesimas facerent, quasi tres passi essent salvatores, incipit ab illis nonnihil dissentire Auctor in duarum dumtaxat observatione, sicuti ex his verbis, etiam juxta MS. cod. manifestum fit *Duas*, inquit, *in anno hebdomadas Xerophagiarum, nec totas, exceptis Sabbatis & Dominicis, offerimus Deo, abstinentes ab iis, non rejicimus, sed differimus.* Verùm de hoc latiùs in Annotationibus nostris.

Tom. 5. l. de Iejun. cap. 1. num. 13. Ibid. cap. 13. nu. 80. 81. Ibid. cap. 16. num. 99. Ibid. cap. 15. nu. 90. 91.

Anno Domini ccxvi. Sancti Zephyrini Romani Pontificis xvii. Antonini Imper. V. AIMILO LÆTO (quem paulò pòst ab Antonino interfectum scribit Spartianus) ET ANICIO CEREALI COSS. eo ipso quo Antoninus in expeditione Germanica (teste Spartiano) juxta Rhetias multos barbaros interfecit, inde potissimum GERMANICUS appellatus, putatur scripsisse TERTULLIANUS LIBRUM DE PUDICITIA. In quo Sententiam sancti Damasi in Pontificali de vasis vitreis ad Sacrificium ordinatis a sancto Zephyrino, confirmant hæc illius verba: *Cui illesi fortè patrocinabitur Pastor, quem in calice depingis*; maximè quòd sequitur: *At ego ejus Pastoris scripturam haurio qui frangi non potest*; frangi enim facillimi sunt calices vitrei; quos etiam depingi tum solere, hinc fit manifestum. Hic etiam in hoc à Montanistis dissentit, quòd quum illi teste B. Hieron. Epist. supracitata Montanum sensisse, non posse renovari per pœnitentiam Lapsos, atque adeò illum cum Novatiano conjungat; Auctor dumtaxat mœchis & fornicatoribus (etsi perperàm; & contrà quam anteà scripserat libro de Pœnit.) pacem Ecclesiæ neget, oppugnans ex proposito illud Zephyrini (quem *Pontificem* Maximum etiam jam hæreticus *Episcopum Episcoporum* appellat) *Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* Atque hoc est mea quidem sententia quod de illo scribit B. Aug. lib. de Hæres. postmodum ab Cataphrygibus divisum sua conventicula propagasse, fortassis quòd jam defunctis illis; qui *A Proclum* (cujus ipse sectator) dicebantur, obtinerent palmam illi qui secundum Æschinem. Utpotè contra quos tacitè scripserit librum adversus Praxean de Patre & Filio non eisdem. Dissensisse etiam illum adnotavimus de duabus dumtaxat Quadragesimis. Quare falluntur, qui ex eo loco colligunt eum ad Catholicam Ecclesiam redijsse, maximè quum B. August. caussam hæres. duplicem adsignet, tum quia transiens ad Cataphrygas, cœpit secundas nuptias damnare, tum quia sua conventicula propagavit.

Tom. 5. l. de Pudic. c. 7. n. 51. & c. 10. n. 84. 85.

Lib. de Pudic. cap. 1. n. 5. & 6.

Anno Domini ccxvii. Sancti Zephyrini Papæ Romani xvii. & Antonini vi. Q. AQUILIO SABINO II. (ad quem Vlpianus Libros 51. Digestorum scripsit) ET SEXT. AURELIO P. P. ANULLINO COSS. censemus scriptos TERTULLIANI LIBROS SEX DE EXSTASI, & ADVERSUS APOLLONIUM SEPTIMUM, quos etiam adversus Ecclesiam scriptos testantur B. Hieronymus, Sophron. & Nicephor. Nec obstat quòd *Apollonium* collocet Beatus Hieronymus Catal. Script. Eccles. ante Auctorem, quia quod aliàs facere solet, nullius Imperatoris adscribit tempora, Euseb. quoque Eccles. histor. lib. 5. cap. 17. & post eum Nicephorus, eum inter eos quidem recenset, qui adversus Montanum scripserunt, sed aliquamdiu posteà conscriptum satis indicant illa verba: Porrò *Apollonius* scriptor Ecclesiasticus, quum ea quæ Cataphrygum Hæresis nominata est, adhuc in Phrygia vigere videretur, Librum separatim ad patronos ejusdem confutandos conscripsit. Deinde convincit illud ejusdem. Idem iste *Apollonius* in eodem Libro commemorat, quòd quadragesimus jam annus, in quo quidem ad hoc opus scribendum se contulit, agebatur, ex quo Montanus confictam & commentitiam Prophetiam incœperit. Atqui ab initio Pontificatus sancti Eleutherii, quo Montanus hæresin sparsit suam, uti supradictum est, ad hunc usque intercedunt anni xl. Sedit enim Eleutherius post Consulatum Cethegi & Clari (utpotè creatus pridie Idus Maii, quum exstet illis consulibus Epistola Decretalis sancti Soteris Papæ data x. Kalend. Iunii) usque ad Maternum & Praduam Consules, defunctus vii. Kalend. Iunii, id est ab anno Domini clxxii. usque ad annum clxxxvi. per annos xiv. dies xiii. S. Victor, ut supra dictum est, annos xii. mensem i. dies xxviii. Sancti Zephyrini, fient anni xliv.

Tom. 4. inter Fragmenta.

Anno Domini ccxviii. S. Zephyrini Papæ Romani xix. Antonini vii. utriusque ultimo, BRUTIO PRÆSENTE ET EXTRICATO COSS. nos etiam historiæ nostræ Tertullianicæ finem imponimus. Non quòd certò velimus adserere posteà non supervixisse TERTULLIANUM, quum Trithemius scribat eum vixisse usque ad senectam & senium, sed quòd saltem à scriben-

ſcribendo deſtiterit. Sentiebamus aliquando, quũ in illum Adnotationes ſcriberemus, *Librum de Ieiuniis*, ſub S. Calixto Papa editum fuiſſe, quòd *Ieiuniorum* meminerit *citra illos dies quibus ablatus eſt ſponſus*, id eſt extra Quadrageſimam, exiſtimantes adludi ad jejunia IV. Temporum ab illo inſtituta Sed ubi penitus inſpeximus, poteſt referri aut ad id quod ſequitur: *Et ſtationum ſemi jejunia interponentes* (nempè feriæ quartæ & ſextæ ad horam uſque nonam (*& interdum pane & aqua victitantes*, aut ad jejuniu Sabbati, quod Romę celebrabatur ex ſtatuto, non in Africa (cujus etiam paulo poſt meminit) aut ad jejunia Pœnitentium etiam Catechumenorum, de quibus ipſe in hæc verba ante hæreſim: *Ingreſſuros baptiſmum, orationibus crebris, ieiuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet*. Aut denique ad jejunia in Vigiliis Feſtivitatũ Eccleſiaſticarum. Atq; adeò placet B. Hieronymi, Sophronii & Nicephori ſententia, qui non ſub Macrino aut Heliogabalo, ſed ſub Severo Principe & Antonino Caracalla floruiſſe & ſcripſiſſe teſtantur hunc Auctorem noſtrum; maximè quum ſub S. Zephyrino Pontefice omnes illum claruiſſe ſcribant, non ſub Calixto; præter unum aliquem neotericum, qui tamen eum jam antea ſub Adriano Cæſare eumdem facerat cum Tertyliano IC. Portò poſtremum fuiſſe hunc annum Antonini Caracallæ Imper. non ſequentem (uti Caſſiodorus habet) patet ex Faſtis Conſularibus emendatioribus, in quibus ſic ſcribitur: Hoc anno ad VI. Idus April. IMP. CÆS. M. Aurelius Divi Severi filius Antoninus, Auguſtus, Britannicus, Germanicus occiſus eſt. Quum enim (inquit Spartianus) vellet iterum Parthis bellum inferre, atque hybernare Edeſſæ, atque inde Carras Luni Dei gratia (de quo, quod inſuper addit, ad intellectum facit Auctoris, qui alicubi *Maſculum* Lunam ridet) veniſſet, die natalis ſui ipſis Megalenſibus, in inſidiis à Macrino Præf. præt. poſitis, qui poſt eum invaſit Imper. interemptus eſt, ab eodem tamen in Deos relatus, & templo ei ædificato, & Saliis additis. Confirmatur hæc mea ſententia, quòd nullæ exſtent leges Antonino & Advento Coſſ. ſed Antonini Auguſt. titulo duæ Præſente & Extricato Coſſ. altera l. IX. God. data VIII. Kal. Mart. altera lib. VIII. Tit. 38. lib. 3. ex Kal. Martiis paulo ante obitum. Imperavit proinde à pridie Nonas Febr. anni Domini CCXII. uſque ad dictum diem, annos VII, menſes II dies IV. Atqui S. Zyphyrino Papæ, quem & S. Damaſus, & alii omnes his Conſulibus vitam finiſſe ſcribunt, non poſſunt plures anni tribui quàm XIX. & dies XVI. quòd à IV. Idus Auguſti anni Domini CLXXXIX. uſq. ad VII. kal. Sept. quo hoc defunctus eſt, totidem computentur Quē quum Eccleſia inter Martyres celebret, oportet, ut abſente jam Antonino, iterum per Pontifices Idolorum excitata fuerit Romæ, & fortaſſis à Macrino continuata (qui proinde etiam poſt annum, menſem I. dies aliquot, à Deo cæde punitus eſt) Chriſtianorum perſecutio, ſed quia localis dumtaxat, non computatur ab hiſtoricis.

Tom. 5. l. de Iejun. c. 13. n. 78 Ibid. c. 14. n. 87.

Tom. 3. l. de Baptiſ. c. 20. n. 155.

To. 1. Apol. c. 15. n. 218.

Ceterum etiam hic adjiciendum pro hiſtoriæ veritate, fruſtrà quoſdam illum denuò ad Catholicam fidem rediſſe opinari. Nam imprimis id ex S. Auguſtino colligi non poſſe ad annum abhinc ſecundum oſtendimus. Deinde inter Martyras minimè computandum TERTVLLIANVM, ſed Tertullianum, ſupra in ipſis auſpiciis adnotavimus. Denique S. Pacianus ad Sympronianum contra Novatianos, nihil pro ei facit: Tertullianus, inquit, poſt hæreſim (etiam addendum cenſuimus) veſter eſt: nam multa inde ſumpſiſtis. Ipſum Epiſtola ſua, & ea ipſa quam Catholicus edidit, audies confitentem, poſſe Eccleſiam peccata dimittere. Neque enim loquitur de Epiſtola, quam poſt hæreſim, ſed quam antea adhuc Catholicus ediderat, nempe lib. de Pœnitentia, ex quo multa ipſum deſcripſiſſe alibi adnotavimus. Certè ſi ita creditum fuiſſet, non tantoperè hæreſin hujus boni viri deploraſſet S. Vincentius Lirinenſis, cujus interim verba Antidoti loco, ne quis fortè ex eo ſcandalizetur, addenda putavimus: Fuit iſte quoque (adludens ad Origenem, de quo ſimilia ſcripſerat, qui à fine Imperii Severi ad Decium uſque ſupervixit) in Eccleſia magna tentatio. Se de hoc nolo plura dicere. Hoc tantum commemorabo, quòd contra Moſis præceptum, exſurgentes in Eccleſia novellas Montani furias, & inſana illa inſanarum mulierum novitii dogmatis ſomnia verat Prophetias adſeverando, meruit ut de ſe quoque & ſcituris ſuis diceretur: Si ſurrexerit in medio tui Propheta, &c. non audies verba Prophetæ illius. Quare? Quia, inquit, tentat vos Dominus Deus veſter, utrum diligatis eum, an non. His igitur tot ac tantis ceteriſque ejuſmodi Eccleſiaſticorum exemplorum molibus, evidenter advertere, ac ſecumdùm Deuteronomii Leges luce clarius intelligere debemus, quòd, ſi quando aliquis Eccleſiaſticus magiſter aberraverit, ad tentationem noſtram id fieri providentia divina patiatur, utrum diligamus Deum, an non, in toto corde, & in tota anima noſtra.

Tom. 2. l. de Pœnit in calce Argumenti, & ſuis quibusque locis.

Denique coronidis vice, non prætereundum, quod ex B. Auguſt. didicimus, duraſſe adhuc ad ſua uſque tempora Tertullianiſtas Hęreticos, & tum primum in Catholicam Eccleſiam tranſiiſſe. Quibus etiam magis quàm Tertuiliano, cenſemus imputandam abſurdiſſimam illam hæręſin, qua dicebant animas hominum peſſimas poſt mortem in dęmonas converti, maximè quum ætate primum Auguſtini poſt Donatiſtas & Iovinianiſtas collocentur Tertullianiſtæ, qui id ſenſerint, tum ab ipſo, tum à S. Iſidoro, Honorio Auguſtodunenſi, Rhabano & Gratiano in Catalogis hæreticorum Tertullianiſtæ (inquit ille ad Quodvultdeum, lib. de Hæreſ.) à *Tertulliano*, cujus leguntur opuſcula multa eloquentiſſimè ſcripta; uſque ad noſtrum tempus paulatim deficiente, in extremis reliquis durare non potuerunt (ſic enim caſtigamus) in urbe Carthaginienſi. Me enim ibi poſito ante aliquot annos, quod etiam te meminiſſe arbitror, omni ex parte conſumpti ſunt Pauciſſimi etiam qui remanſerunt, in Catholicam tranſierunt, ſuamq; Baſilicã, quæ nunc etiam notiſſima eſt, Catholicæ tradiderunt. Quod utinam illorum exemplo, jam quoque in noſtro Belgio fatiſcentes noſtræ tempeſtatis hæretici, propediem faciant, Deo auxiliante, cui honor poteſtas, & gloria in ſecula ſæculorum. Amen.

PARADOXA TERTVLLIANI
CUM ANTIDOTO JACOBI PAMELII.

1. De Angelis desertoribus qui duxerunt filias hominum. *lib. de Idolol. cap. 9. Lib. de Habitu mulieb. cap. 1. l. de Cultu fœmin. c. 10. & l. de Velandis virg. c. 9. Item l. 5. adv. Marc. c. 18.*

HUIUS Paradoxi Tertullianus primus Auctor non est, neque postremus, sed sicuti partim adnotavimus ad lib. de Habitu virg. ubi maximè ex proposito illud tractat, ante eum Ioseph. Antiquit. lib. 1. S. Iustinus Mart. Apolog. utraque, Athenag. in Apol. Clemens Alexand. lib. 3. & 5. Stromat. post eum Lactant. lib. 2. Instit. divin. cap. 15. S. Cyprian. lib. de Disc. & hab. virg. n. 54. Euseb. l. 5. Evang. præpar. & Method. serm. de Resurrect. caussam erroris dedit, quòd LXX. editio Græca vetus, quam illi secuti sunt post Philonem legeret: οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ, & Latina Italica, vel SS. Ambros. August. Procopio testibus, Angeli Dei, pro eo quod postea lectum invenitur οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ, & Latinè, filii Dei, quam utramque agnoverunt suo tempore S. Aug. & Procopius. Verùm pulchrè eam sententiam per absurditatem refutat S. Chrysost. hom. 22. in Genesin. adserens nusquam alibi in scripturis (nempè juxta editionem LXX. quam solam noverat) vocari angelos filios Dei. item S. Ambr. lib. de Noe & arca c. 4. S. Aug. quæst. 3. in Gen. & latius lib. 15. de Civit. Dei cap. 15. S. Epiphan. Epit. divin. dogmat. & Procopius in Comment. quorum Chrysost. & Aug. etiam auctoritatem libri Enoch, quo niti videtur Tertullianus, impugnant. Qui omnes & angelos & filios Dei, posteros Seth, utpotè Dei cultores, interpretantur, sicuti etiam B. Hieron. lib. de Tradit. Hebr. in Genesin, denique Ven. Beda, Rhabanus noster & Haymo Com. in Gen. scribentes & in scripturis sacris frequenter angelorum nomine viros fideles & justos appellari. Quid quod Philastrius lib. de hæres. cap. 108. inter hæreticos recenset eos qui adserunt angelos miscuisse se cum fœminis ante diluvium, & inde natos esse gigantes?

2. De Angelorum apparitionibus in vera humana carne. *l. 3. adv. Marc. c. 9. acc. 11.*

VIdentur quidem tale quid sonare verba illa Tertulliani: *De hinc scito, nec illud concedi tibi, utputativa fuerit angelis caro, sed vera & solida substantiæ humanæ.* Sed in aliis libris eodē conscriptis tēpore ta seipsum explicat, sicuti adnotavimus ad lib. de Carne Christi c. 6. n. 60. ut nihil certi ea de re voluerit adserere, alioqui enim sibi videbitur contrarius. *Constat*, inquit ibi, *angelos carnem propriam non gestasse, ut puta natura substantiæ spiritalis, & si corporis alicujus, sui tamen generis, in carnem autem humanam transfigurabilis ad tempus, ut videri & congredi cum hominibus possint.* Et apertiùs lib. de Resur. carn. c. 62. *Quia & angeli*, inquit, *aliquando tamquam homines fuerunt, edendo, bibendo & pedes lavacro porrigendo Humanam enim superficiem induerant salva intus substantia propria.* Hoc sufficere ubique visū est Auctori, quod dogmati Apellis non consentiret, qui ex aerea substantia angelos creatos dicebat, ut ne videretur illi & in hoc consentire, quod Christi corpus exætherea materia originem haberet suam. Atqui qualia corpora, & unde adsumpta ab angelis fuerint, etiam hodie controversum est apud Magistrum Sententiarum l. 2. dist. 8. §. 4. Nos loco jam citato cum S. Bernardo de hoc sententiam nostram suspendere maluimus quàm certi quid definire. An autem senserit Auctor, quod illi quidam impingunt *corporeos esse angelos & dæmonas*, non immeritò dubitare licet. Maximè quum auctor, etsi videatur hic *sui generis, corpus* angelis tribuere, tamen faciat eos *substantiæ spiritalis*, sicuti etiam non semel in Apologetico, & nominatim cap. 22. spirituales vires & angelis & dæmonibus adtribuit, & spiritus vocat. Magis tamen recepta est, mihique placet eorum sententia, qui incorporeos faciunt, inter quos veniunt commemorandi SS. Dionys. Areop. cap. 2. cœlest. Hierarch. Athanas. de commun. essen. Patris, & Filii, & Spiritus sancti; Chrysost. humil. 22. in Gen. Cyrill. lib. 4. in Iaon.

3. De anima primi hominis ex materia Dei. *lib. 4. adver. Marc. 37.*

HVc quidem pertinere videntur illa Auctoris verba, explicantis illud Luc. 20. Reddite quæ sunt Dei Deo: *Hominem igitur reddi jubet creatori, in cujus imagine & similitudine & nomine & materia expressus est.* Qui locus fortassis in causa fuit, uti sic scribat de illo Gennad. lib. de Dogmat. Eccles. Nihil ex Trinitatis essentia ad creaturarum naturam credamus deductum, ut Plato & Tertullianus. Verùm quū S. August. qui toties deducit animam non posse partem Dei dici, nihil tale illi adtribuat, ego etiam à tam absurda hæresi ipsum purgandum existimo. Atque adeò nihil illum aliud voluisse dicere quàm quòd ex *adflatu Dei* sit animæ origo, juxta illud Gen. 2. *Et flavit Deus flatum vitæ in faciem hominis, & factus est homo in animam vivam*, sicuti frequentissimè ipse inculcat, maximè verò lib. de Anima c. 11. Quo loco, sicuti etiam lib. de Bapt. cap. 5. n. 43. eam interpretationem consentire ostendimus cum SS. Iren. Prudentio, Chrysost. August. & Theodoreto. Quorum iste: Nomine flatus, inquit, non intelligimus partem aliquam essentiæ divinæ secundum Cerdonis & Marcionis rabiem, sed animæ naturam per id denotari, quòd anima spiritus sit rationalis & intellectualis. Quæ verba mihi etiam aliam coniecturā faciunt, loqui

Au-

Auctorem non ex sua, sed ex Marcionis sententia, præsertim quum ex Fragmentis lib. de Censu Animæ adv. Hermog. Tomo quarto constet, sensisse illum, animam longè Deo inferiorem, utpotè passibilem, etsi immortalem. Et verò etiam repetendum, quod utrobique adnotavimus, rectè censuisse S. August. libro de hæres. quod Filastrius multas hæreses recensuerit, quæ hæreses non sunt, qualis est non hæresis, sed Catholica Patrum sententia, cùm *flatum*, seu spiraculum vitæ de anima rationali interpretatur.

4. De Animabus posterorum Adæ ex traduce, *de Anima cap. 9. cap. 19. cap. 22. & integris capitibus 27. & 36.*

PAradoxon istud Tertulliano adscribunt Rufinus Apolog. pro Origene, & S. Hieron. lib. 2. & 3. Apolog. adv. eundem, quorum ille nihil definiendum putat, hic satis dubiè loquitur, quamquā magis sentire videatur esse damnatā sententiam. Nam tum ibi, tum maximè Apolog. ad Pammach. adversus errores Ioan. Hieros. disertis verbis dicit, Ecclesiasticam esse sententiam Deum novas quotidie animas corporibus jam conceptis infundere, adlegans ad id scripturas Ioan. 5. Zachar. 12. Psal. 32. Quamquam interim Epist. 99. quæ est ad Marcellinum & Anapsychiam, mitiùs loquatur, & illud quidem sibi videri scribat, sed ad S. August. remittat, utpotè nihil volens certi definire, quod illum legisset dubiam adhuc suspendere sententiam; adludens ad Epist. illius ad se scriptas, & 157. ad Optatum de origine animarum. In qua Tertullianum non tam damnat quòd ex traduce, quàm quòd corporeas animas faceret, de quo Paradoxo paulo post latiùs. Nam & ille, inquit, qui animas ex illa una propagari adserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profectò eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, & ex corpulentis seminibus exoriri. Quo perversius quid dici potest? Neque hoc Tertullianum somniasse mirandum est, qui etiam ipsum creatorem Deum, non esse nisi corpus opinatur. Sed de illo quoque Paradoxo infra ex eodem Augustino latiùs. Gennadius autem lib. Eccles. dogmat. (quem vel hinc patet S. August. non esse) enarrata Origenis sententia, & jam dicta, ut dicit, Luciferianorum Cyrilli, & aliquorum Latinorum (inter quos haud dubiè Tertullianus) definit, formato jam corpore animam à Deo creari & infundi. Nec aliter Auctor Dialogi de Animarum origine inter SS. Hieron. & August. Nos tamen nihil tamquam fidei docere maluimus, quandoquidem & Ecclesia tot jam inde celebratis Conciliis nihil expressè, quod quidem sciam, definitum reliquerit. Sufficiet autem quædam in Adnotationibus adiecisse, quibus tum S. Hieron. sententiam mihi magis probari significavimus, tum ad argumenta Tertulliani absurda, qui sentit ex corpulentis seminibus animam exoriri, ex S. August. & Lactantio paucis respondimus.

5. De animæ sexu. *Ibid. cap. 36.*

HOc quidem colligit Tertullianus ex prædicto Paradoxo. Si enim anima simul seminatur cum corpore, videtur illud consequi; sed disertis verbis contrariam definiunt sententiam S. Cyrill. Hieros. Catech. 4. & S. Aug. l. de Anim. & ejus origine ad Vincentium c. 8. Hujus verba quędam adduximus in Adnotat. nostris, quò Lectorem remittimus. Ille sic habet: Omnes Animæ tam virorum quàm mulierum pulcræ & similes sunt, sed membra tantum corporis discrimen faciunt.

6. Animam peccatricem potiùs quàm carnem. *lib. de Anima, integro c. 40. & c. 58. & lib. 5. adu. Marc. c. 20.*

AD istud Paradoxum in hæc verba adludit, & eadem opera confutat Petrus Lombardus, verbis etiam à nobis illic citatis l. 2. Sentent. c. 31. Putaverunt, inquit, quidam secundum Animam trahi originale peccatum, non solùm secundùm carnem, quia non solùm carnem, sed & animam ex traduce arbitrati sunt. Ideoque sicut de corrupta carne caro seminatur, ita etiam de Anima peccatrice Animam peccatricem corruptione originali infectam à gignentibus trahi. Hoc autem, inquit, fides Catholica respuit, & tamquam veritati adversum damnat, quæ non Animas, sed carnem solam ex traduce esse admittit. Adlegavimus ibidem n. 455. pro contraria sententia SS. Ambros. August. locos ab eodem Lombardo citatos.

7. De Anima corporea. *Apolog. c. 48. & lib. de Anima, integris capitibus 5. 6. 7. 8. 9. 22. 36. 37. libro de Carne Christi, cap. 11. libro de Resurr. carnis c. 17. cap. 45. & c. 53. lib. 5. adu. Marc. c. 10. & c. 15.* Quod proinde propriè spiritus non sit, *ibid. lib. de Anim. c. 11. & in Fragmentis lib. de Censu Animæ adversus Hormogenem.*

PAradoxon istud Auctori impingunt SS. August. lib. 10. de Gen. ad litt. duobus ultimis capitibus, & lib. de hæres. & Fulgent. lib. 2. de fide ad Petrum. Sed non tam quòd *copoream* faciat (quod aliquo sensu commodè in Hilario, & Cassiano, & Hieronymo adscripto Commentario in Iob. quidam interpretantur) quàm quòd *effigiatam & coloratam* dicat, ille arguit. Sic enim loco priori, Denique *Tertullianus*, inquit, qui corpus esse animam credidit, non ob aliud fecit, nisi quòd eam incorpoream cogitare non potuit, & ideo timuit ne nihil esset, si corpus non esset. Qui sanè, quamquam acutus est, interdum

contra opinionem suam visa veritate superatur. Quum enim animæ *colorem* daret *aereum ac lucidum*, ventum est ad sensus quibus eam membratim quasi corpus instituere conatus est, & ait, *Hic erit homo interior alius exterior, dupliciter unus, habens & ille oculos & aures suas, quibus populus Deum videre & audire debuerat, habẽs & ceteros artus, per quos in cogitationibus utitur, & in somnis fungitur.* Ecce quibus auribus & quibus oculis debuit audire & videre Deũ populus, quibus anima in somnis fungitur, quum si ipsum *Tertullianum* quisquam videret in somnis, nunquam se diceret ab eo visum, & cum eo locutum, quẽ vicissim ipse non vidisset. Postremò si Anima seipsam videt in somnis, quum jacentibus utiq; uno in loco membris corporis sui ipsa per varias imagines evagatur, quas videt, quis eam vidit aliquando in somnis *aerei coloris ac lucidi*, nisi fortè ut cetera, quæ similiter falsò videt? Nam & hoc potest videre, sed absit, ut eam talem, quum evigilaverit, credat; alioquin quando se aliter viderit, quod magis crebrum est; aut mutata erit animam ejus, aut nec tunc animæ videtur substantia, sed imago corporis incorporea, quæ miro modo sicut in cogitatione formatur. Quis enim Æthiops non penè semper nigrum videt in somnis; aut si in alio colore se vidit, non magis miratus est, si fuit cũ illo memoria? *Aereo* tamen *colore* ac *lucido* nescio utrum se unquam vidisset, si nunquam istum legisset vel audisset. Quid quòd ducuntur homines talibus visiis, & de scripturis nobis volunt præscribere tale aliquid esse non animam, sed ipsum Deum, qualis figuraliter Sanctorum spiritibus demonstratus est, qualis etiam in sermone allegorico ponitur. Similia quippe sunt illa visa talibus dictis: sic errant, constituentes in corde suo simulacra vanæ opinionis, nec intelligentes ita Sanctos de suis visis talibus judicasse, qualiter judicant, si talia divinitus in figuris dicta legerent vel audirent, sicut septem spicæ, & septem boves, septem anni sunt, sicut linteum quatuor lineis alligatum, velut discus plenus variis animalibus, orbis terrarum est cum omnibus gentibus, sic etiam cetera, & multò magis quæ de rebus incorporeis; corporalibus significantur, non rebus, sed imaginibus Et item sequenti capite: Noluit tamen *Tertullianus* animam crescere substantia sicut corpus: adserens etiam timoris sui causam, *ne etiam decrescere substantia dicatur*, inquit, *atque ita & defectura credatur*, & tamen quia per corpus eam localiter tendit, non invenit exitum incrementorũ ejus, quam vult de semine exiguo æquari corporis quãtitati, & ait: *Sed vis ejus, in quo naturalia peculia consita retinentur, salvo substantiæ modulo, quo à primordio inflata est, paulatim cum carne producitur in membris.* Hoc forte non intelligeremus, nisi adhibita similitudine eorum quę videmus, planum faceret quod dicebat. *Constitue*, inquit, *certum pondus auri, vel argenti rudem adhuc massam, collectus habitus est illi, & futuro interim minor, tamen continens intra lineam moduli totum, quod natura est auri vel argenti; dehinc quum in laminam massa laxatur, major efficitur initio suo, per dilatationem ponderis certi, non per adjectionem, dum extenditur, nondum augetur. Etsi sic quoque augetur, dum extenditur, licet enim & habitu augeri cum statu non licet, tunc & splendor ipse perhibetur auri vel argenti qui priùs fuerat quidem & in massa, sed obscurior, non tamen nullus. Tunc & alii æquè habitus accedunt pro facilitate materiæ, qua duxerit eam qui agit, nihil conferens modulo nisi effigiem. Ita & animæ incrementa reputanda non substantiva, sed provocativa.* Quis hunc crederet cum isto corde tam disertum esse potuisse? sed tremenda ista sunt, non ridenda; ad hoc enim nunquam cogeretur, si aliquid cogitare posset quod & sit, & corpus non sit. Quid autem absurdius quàm putare massam cujuspiam metalli ex aliqua parte crescere posse dum tunditur, nisi decrescat ex altera, vel augeri latitudine, nisi crassitudine minuatur? Aut ullum esse corpus manente naturæ suæ quantitate, quod undique crescat nisi rarescat? Quomodo igitur implebit anima ex illa stilla seminis magnitudinem corporis quod animat, si & ipsa corpus est, cujus substantia nullo accessu acrescat? quomodo, inquam, implebit carnem, quam vivificat, nisi tantò rarior fuerit, quanto gravius quod animaverit? Timuit videlicet, ne deficeret etiam minuendo si cresceret, & non timuit ut deficeret rarescendo, quum non cresceret. Sed quid amplius immorer, quando & sermo pergit in prolixiorem modum, quàm petit terminandi necessitas, & sententia mea jam satis sit nota, vel quid certum teneam, vel unde adhuc dubitem, & quare dubitem. Loco item posteriori: *Animam* dicit *immortalem*, quidem, sed eam *effigiatum corpus* esse contendit. Hactenus S. August. Nos etiam Adnotationibus nostris in c. 6. & ex SS. Gregorio & Nysseno & Nazianzeno, ac Claudiano de Statu animæ argumenta Platonicorum de anima incorporea confirmavimus, & in c. 7. ac partim 8. argumenta ipsius Auctoris, vel ex scripturis quædam non concludere, ex SS. Iustino Mart. Gregorio Nysseno, Aug. Epiphanio, & dicto Claudiano ostendimus, & c. 9. n. 109. & 110. citavimus contra animæ effigiem, & Platonem, & Clementem Alexandrinum. Deinde c. 11. adlegavimus locum Auctoris lib. de Pœnitent. c. 3. n. 12. ubi contrarium anteà senserat, *animam* vocans *spiritum Dei adflatu consummatum.* Neque verò ex scripturis Isajæ 42. & 57. quas ibi pro se citat, concludi potest animam, spiritum in aliis scripturis non vocari. Ceterùm quo sensu corpus possit dici Anima, sese explicat libro adversus Hermogenem c. 35. n. 124. in hæc verba: *Vt concedam*, inquit, *aliquid esse incorporale de substantiis dumtaxat, quum ipsa substantia corpus sit rei cujusque.* Videtur itaque ad id absurditatis de *anima aerei & lucidi coloris* fuisse seductus, per falsas quasdam *revelationes* cujusdam Montanisticæ feminæ, non quidem Priscillæ aut Maximillæ (uti aliquando existimavimus) quæ jamdudum anteà suspendio perierant, sed cujusdam earum discipulæ, sicuti patet ex dicto libro de Anima cap. 9. num. 111. Idipsum Paradoxon attribuit alicubi Origeni S. Hieron. atque adeò etiam ad illius opera hoc Antidotum usui esse poterit.

8. Animam nihil pati posse sine corpore, *Apolog. c. 48. l. de Testim. anim. c. 4.*

MAgdeburgenses Centuriatores non inter Paradoxa, sed inter dogmata fidei illud collocant, & ex *Tertulliani* jam dicto loco confirmant, sed frustrà. Ipse enim Auctor, quasi retractans quod initio fidei non satis cautè pronuntiaverat, posteà de fide Catholica meliùs institutus, libro de Anima, integro cap.

c.ult.latè & pulchrè deducit : *Animas pati interim apud inferos*, id eſt , uſque ad judicium extre-
mum , ubi inter cetera : *Quid ergo fiet in tempore iſto ? Dormiemus ? At enim anima nec in viventi-*
bus dormiunt . Iam verò quàm iniquiſſimum etiam apud inferos, ſi & nocentibus adhuc illic benè eſt .
Nonne & de ſuo ſufficit ſibi ad titulum paſſionis ? quotiens illæſo corpore anima ſola torquet turbile , ira , tæ-
dio plerumque nec ſibi noto ? Adeo novit & apud inferos anima dolere ſine carne , quia & in carne illæſa
ſi volet , dolet . Hoc ſi ex arbitrio ſuo in vita , quantò magis ex judicio Dei poſt mortem ? Nam & ſolos
cogitatus & nudas voluntates cenſura divina perſequitur . Ergo propter hoc congruentiſſimum eſt , ani-
mam , licèt non exſpectata carne , puniri , quod non ſociata carne commiſit . In ſumma , quum carce-
rem illum , quem Evangelium demonſtrat (Matth. 5.) *Inferos intelligimus , & noviſſimum quadrantem,*
modicum quodque delictum illic luendum interpretamur ; nemo dubitabit , animam aliquid penſare apud
inferos . Id ipſum etiam inculcat libro de Reſurrectione carnis c. 17. n. *133*- ac *134*. Ad quod caput etiam
adduximus ſimilia teſtimonia Auctoris quæſt. & reſponſ. inter opera S. Iuſtini Mart. Lactantii & S.
Auguſt. & indicavimus eam eſſe conformem Patrum ſententiam .

9. Animas ſanctorum in ſinu Abrahæ, ſeu Paradiſo, ſive ſub altari, ſeu loco non cœleſti, ſed tamen inferis ſuperioris, foveri & gaudere, ad diem uſque judicii Domini. *Apolog. cap. 47. lib. de Anim. capit. 7. cap. 9. capite 55. cap. 56. ac cap. ult. lib. de Reſurrectione car. cap. 17. libro 3. adverſ. Marc. capite 34. Scorp. adv. Gnoſt. capite 12. libra de Iudic. Domini cap. 11. & in Fragment. libro de Parad. Denique Novatiāni lib. de Trinit. cap. 1.*

HUic Paradoxo non ſolùm apud Tertull. & Novatianum, ſed etiam apud alios Veteres occaſionem
dederunt, tum Lazari ſive hiſtoria ſive Parabola, Luc. 16. quem vidit dives in ſinu Abrahæ , tum
viſio S. Ioannis Apoſt Apocal. 6. qua vidit animas Martyrum ſub altari indutas ſtolis albis , quibus di-
ctum eſt ut requieſcerent , donec impleretur numerus conſervorum ſuorum , tum denique illud Chriſti
ad Latronem , Luc. 24. Hodie mecum eris in paradiſo . Hinc enim, quum viderent diſtinguendum eſſe
ſtatum animarum ſine corpore uſque ad futurum judicium , à ſtatu perfectiori animarum cum corpori-
bus poſt reſurrectionem univerſalem, dictis *ſinus Abrahæ , quietis placidæ ſub altari , & paradiſi* appella-
tionibus nuncuparunt: Quemadmodum ſtatum illum ſecundum è contrario, *cœleſtem ſinum, altare ſupe-*
rius, & cœleſtem portum . Non verò , quod ſentirent animas Sanctorum tantiſper carere divini intuitus
gloria, ſicuti hodie Anabaptiſtę & Cornelius Agrippa eorum aſſecla, utpotè qui legiſſent apud Apoſtolū
Philipp. 1. Deſiderium habeo diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Item illud 2. Cor. 5. Bonam voluntatem habe-
mus peregrinari à corpore, & pręſentes eſſe ad Dominum. Et illud de ipſa Dei viſione : Nunc videmus
per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Certè ipſe Auctor ſuam ſententiam indicare vi-
detur in hæc verba dict. l. de Anim. c. 56. n. *622*. *uſqueqnò perfectum illud repromittitur ad angelicæ ple-*
nitudinis menſuram temperatum . Si quis interim apud eū ſit locus, aut apud alios Patres, qui hanc com-
modam interpretationem non recipiat; meminerit Lector , hunc errorem non officere eruditioni & pie-
tati tam illuſtrium Scriptorum, quum Eccleſia illorum temporibus nihil adhuc certi de hoc articulo cre-
dendum ſtatuiſſet . Sed circa Synodum Oecumenicam Florentinam, quæ poſt primam damnationem ,
factam Epiſt. Decretalibus Innocentii III. & Benedicti II. id definivit , aliter ſentire non licet . Illius
adverſus errores Armenorum hæc ſunt verba: Definimus illorum animas , qui poſt baptiſma ſuſceptum
nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam vel in
ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus, prout ſuperiùs dictum eſt , ſunt purgatæ in cœlum mox re-
cipi , & intueri clarè ipſum Dominum trinum & unum, ſicuti eſt: pro meritorum tamen diverſitate alium
alio perfectiùs : illorum autem animas , qui in actuali mortali peccato , vel ſolo originali decedunt ,
pœnis tamen diſparibus puniendas . Quid ? quòd dicta ſcripturarum loca pro alia non faciant ſenten-
tia , ſi diligentiùs inſpiciantur . Primum enim etſi Lazarum & alios Patres Veteris Teſtamenti in ſinu
Abrahæ , & latronem ibidem , ſive in paradiſo aliquandiu fuiſſe , ſatis in confeſſo ſit : tamen inde per
Chriſtum in cælum ſunt deducti , juxta illud Pſalm. 67. & Epheſ. 4. Aſcendens Chriſtus in altum ca-
ptivam duxit captivitatem : id eſt , vel ipſo Apoſtolo interprete : ſuper omnes cœlos . Deinde loco illo
citato Apocal. 6. S. Auguſt. ſtolas albas interpretatur Ser. 4 de Solem. Sanct. mercedem baptiſmi , præ-
mium Martyri , & gaudium cœleſtis patriæ : adlegans ad hoc verba ſequentia Apoc. 7. Stabant ante
thronum in conſpectu agni , amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, unde concludit : Stant in
conſpectu agni ante thronum Dei coronati , nulla illic ratione à contemplanda ejus gloria ſeparandi .
Nos itaque locos ſimiles & Cypriani & ejuſdem S. Auguſt. ac SS. Ambroſii & Chryſoſt. (apud quos
etiam loca quædam obſcura reperiuntur) citavimus in Annotat. noſtris ad Epiſt. S. Cypriani 16. num.
19. Adnotavit etiam aliquot pro nobis loca Fevardentius in S. Irenæo, contra quam ſentiunt lib. 1. cap.
2. num. 3. alibi . Si quis plura deſideret , videat Sixt. Senenſ. Bibl. Sanctæ libro 6. adnot. 264. & 345
Hìc interim addemus , quòd Auctor , ubi lib. de Anim. cap. 55. *ſolis Martyribus patere paradiſum*
dicit, quum alibi *omnium Sanctorum commune receptaculum* vocet: ſic explicet B. Cyprianus ejus diſcipu-
lus Epiſt. 52. ad Antonin. Aliud eſt ad veniam ſtare , aliud ad gloriam pervenire; aliud miſſum in carce-
rem non exire inde donec ſolvat noviſſimum quadrantem, aliud ſtatim fidei & virtutis accipere merce-
dem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatū emundari & purgari diu igne, aliud peccata paſſione pur-
gaſſe, aliud neque pendere in die judicii ad ſententiam Domini, aliud ſtatim à Domino coronari . Quod

ipsum facere ad confirmandam traditionem Ecclesiæ de Purgatorio, ibidem adnotavimus n. 59. ad Tertull. lib. de Anima c. 55. n. 611. Ceterùm Auctori, qui *omnes animas*, etiam *fidelium piorum sequestrari* vult usque ad diem judicii, prorsus contraria est illa B. Aug. adfirmatio l. 20. de Civit. Dei; Iam inde quo sanguis Christi antiquos sanctos ex inferis eruit, deinceps boni fideles, effuso illo pretio redempti prorsus inferos nesciunt.

10. Animarum Mortuorum omnem exhibitionem incorporalem præstigias esse, *libro de Anim. capite 57.*

PRima quidem facie videtur istud Paradoxon, sed agit Tertullian. ex instituto contra *Simonis Magi* discipulos *hæreticos, qui etiam Prophetarum animas ab inferis movere se spondebant*, quod non nisi *mendacio in anima Samuelis Pythonico spiritui licuisse*. 1. Reg. 18. ipse sentit: sed *transfiguratum Satanam in angelum lucis*; de quo etiam alios Patres quosdam dubitasse ibidem adnotavimus n. 638, Deinde seipsum explicat adjiciens, *nulli animæ inferos patere*, idque adprobans ex dictis Abrahæ ad divitem Luc. 16. Quum interim fateatur *quasdam animas in Corpora Dei virtute posse revocari*; quidni & ex peculiari Dei privilegio extra corpus etiam exhiberi? maximè quum (de quo etiam ibi n. 643.) exemplum habeamus in Libris Machabæorum de apparitione Oniæ sacerdotis & Hieremiæ Prophetæ. Ut ut sit, S. August. pulchrè hac de re sic scripsit libro de Cura pro mort. c. 10. 11. 15. ac 16. Narrantur visa quædam, feruntur mortui nonnulli vel in somnis, vel alio quocumque modo apparuisse viventibus, atque ubi eorum corpora jacerent in humata nescientibus, locis demonstratis admovisse, ut sibi sepultura quæ defuerat, præberetur. Hæc si falsa esse responderimus contra quorumdam scripta fidelium (utpotè exempli gratia, S. Ambrosii Serm. de Inventione corporum SS. Gervasii & Protasii, & S. Luciani de Inventione corporis S. Stephani Protomartyris, & aliorum) & contra eorum sensus qui talia sibi accidisse confirmant, impudenter venire videbimur. Angelicis igitur operationibus fieri, inquit, crediderim, sive permittatur desuper, sive jubeatur. Id autem aliquando utiliter fit, sive ad vivorum qualecumque solatium, sive ut his admonitionibus generi humano sepulturæ commendetur humanitas. Deinde post multa in utramque partem productis argumentis, sic concludit: Mitti quoq; ad vivos aliquos ex mortuis, sicut è contrario Paulus ex vivis in paradisum raptus est, divina scriptura testatur. Nam Samuel Propheta defunctus vivo Sauli Regi futura prædixit (quamvis nonnulli, inter quos, uti jam dixi, Auctor noster, non ipsum fuisse, qui potuisset magicis artibus evocari, sed aliquē spiritum tam malis operibus congruentem, illius existiment similitudinem figurasse (quum liber Ecclesiasticus, quem Iesus filius Sirach scripsisse traditur, & propter eloquii nonnullam similitudinem Salomonis (etiam ab ipso Tertulliano alicubi) pronuntiatur, contineat in laude Patrum (cap: 46.) quod Samuel etiam mortuus prophetaverit. Sed si huic l. ex Hebræorum, quia est, in eo non Canone contradicitur, quid de Moyse dicturi sumus, qui certe & in Deuteronomio mortuus & in Evangelio cum Helia, qui mortuus non est (Matth. 17.) legitur apparuisse viventibus? Hinc & illa solvitur quæstio quonam modo Martyres, ipsis beneficiis quæ dantur orantibus, indicant se interesse rebus humanis, si nesciunt mortui quid agant vivi. Non enim solis beneficiorum effectibus, verùm etiam si ipsis hominum adspectibus, Confessorem apparuisse Felicem (quod ipsum etiam S. Paulinus adtestatur Carmine in Felicem) quum à Barbaris Nola oppugnaretur, audivimus, non incertis rumoribus, sed testibus certis. Verùm ista divinitùs exhibentur longè aliter quam sese habet usitatus ordo, singulis creaturarum generibus attributus. Quamquam ista quæstio (inquit) vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodum opitulentur Martyres his quos per eos certum est adjuvari. Res hæc altior est quàm ut à me possit adtingi; & abstrusior, quàm ut à me valeat perscrutari, & ideò quid horum duorum sit, an verò fortassis utrumque, ut aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum, aliquando per angelos suscipientes personam Martyrum, definire non audeo, mallem à scientibus ista perquire. Quæ ipsa in compendium contraxit auctor lib. de Spiritu & anima c. 26. extans inter opera B. August.

21. Animas hominum pessimas post mortem in Dæmones verti. *S. August. lib. de hæres. ad Quodvultdeum.*

ISTum paradoxum non tam Tertulliano tribuendum quàm Tertullianistis, suprà adnotavimus ad finem Vitæ Auctoris, quòd illis id nominatim attribuant B. Isidorus, Honorius, Rhabanus, & Gratianus in Hæreticorum Catalogis. Quo fit, ut etiam apud B. August. censeamus legi debere, dicunt & paulo post credunt, pro dicit, & credit maximè quum nihil tale reperire sit in scriptis Tertulliani, neque illi uspiam, sed Origeni ascribat B. Hieron. Epist. 59. ad Avitum, & l. 2. adv. Rufin. Ea verò tam absurda est, ut non alia confutatione opus habeat, quàm quòd hæresis nomine damnata sit, tum à scriptoribus jam dictis, tum à Sexta Synodo, etsi paulo obscuris in Origene & ejus complicibus Act 11. Epist. Sophron Patriarchæ Hierosol. Orta quippe ex Platonis schola, qui vel Auctore teste lib. de Anim. c. 23. 24. & 28. ajebat animas hinc in cœlos abire unde venerant, & rursus hoc redire. Cui nimirum quid tribuebant Origenes & hæretici reliqui, ut verissimum sit quod non semel Auctor repetit, *Patriarchas hæreticorum esse Philosophos*. Immò quod eadem ratione sequeretur bonos homines in angelos converti, expressè negat ipse. Sic enim l. adv. Valent. cap. 32. n. 362. *Et tamen illuc habeo devergere ubi post excessum omninò nō nubitur, ubi super indui potiùs quàm despoliari, ubi etsi despolior, sexui meo deputer angelis, non angelus aut angela*, Denique l. de Anima c. 56. n. 622. *non angelorum substantiam homi-*

hominibus pollicetur, ſed, *perfectum ad angelicæ plenitudinis menſuram temperatum*. Deinde l. de Reſurr.
carn. c. 62. n. 428. *Denique*, inquit, *non dixit, Erunt angeli, ne homines negaret, ſed tanquam angeli ut ho-*
mines denegaret, Non abſtulit ſubſtantiam cui ſimilitudinem adtribuit. Quare ſatis mirari nequeo (ſicuti
etiam adnotavi ad l. 3. adv. Marc. c. 9. n. 68.) Guidonem Carmelitam l. de hæreſ. c. 36. Tertulliano
utramque hanc hæreſim adſcribere, quas rectius Philaſt. lib. de hæreſ. c. 36. inter innominatas ſine
Auctore certo collocat.

12. De baptizandis hæreticis, eo quòd apud illos omnia veritati extranea & contraria. *lib. de Præſcript. adu. hæret. c. 12. & lib. de Baptiſ. c. 15. inter fragmenta lib. de Baptiſ. Græci, lib. de Pudic. cap. 15.*

DE hoc Agrippini Carthaginenſis, aliorumque Coepiſcoporum, & Tertulliani, ac poſtmodum S.
Cypriani, aliorumque Africæ & Cappadociæ Epiſcoporum Paradoxo, ne hic ſim prolixior, vi-
deat Lector Adnotat. noſtras in Epiſt. S. Cypriani LXX. ad Ianuarium, LXXI. ad Quintum, LXXII. ad Ste-
phanum, LXXIII. ad Iubajanum, LXXIIII. ad Pompejum, & LXXVI. ad Magnum, item Concilium
Carthaginienſe ſub ipſo celebratum, & Vitam ejuſdem ad annos Domini 252. ac 256. item Firmilia-
ni ad Cypr. Epiſtolam inter ejus Opera LXXV. denique adnotat. noſtras in Tertull. ad fragmenta l. de Ba-
ptiſ. & in Vita ejuſdem etiam noſtra ad annum Domini 101. Quibus adjicio non mirum cuipiam debe-
re videri, ſi Agrippinus cum ſuis Coepiſcopis tale decretum de baptizandis iis, qui ex hæreſi ad Ca-
tholicam revertebantur, ediderit, & Tertull. ſcripto Græce jam dicto libro adprobaverit. Nam ple-
rique uſque ad id temporis hęretici, aut non eundem Chriſtum confitebantur, atque adeo in Re-
gula fidei ab Apoſtolis tradita (quam poſteriores Patres ad hunc uſque diem Symbolum fidei vocant)
non conveniebant, quum tamen ſollemne ſemper fuerit, *obſignare* (uti loquitur Auctor) *fidem in*
Patre, & Filio, & Spiritu ſancto abjecta neceſſario Eccleſiæ mentione, ſicuti latiùs videre eſt in adnot.
noſtris ad lib. de Baptiſ. n. 2. inter Baptiſmi ceremonias, & c. 6. n. 45. 46. ac 47. Certè eodem modo
interpretatur Carolus Bovius Apoſt. canonem 47. & 5. Clement. Romani Conſtit. Apoſt. l. 6. c. 15.
Hinc & Syn. Nicena 1. Can. 19. & ejuſdem ætatis Synod. Laodicena c. 8. & Concil. Arelat. 2. can. 17.
Paulianiſtas & Cataphrygas baptizari debere definit, quibus addit Synod. II. Coſtantinopolitana
Can. 7. Eunomianos, Sabellianos & Galatas hæreticos; Synodus denique 6. in Trullo celebrata,
Manichæos, Valentinianos, Marcionitas & ſimiles. Atqui tempore Tertulliani potiſſimum flore-
bant *Hermogeniani* (quos eadem cum Praxeaniſtis ſenſiſſe tradit S. Auguſt. lib. de hæreſ. cap. 41. 44.
& 45.) *Praxeani*, *Cataphryges*, *Valentiniani*, *Marcionitæ*, & ejus aſſeclæ. *Apelletiani*, denique &
Quintilianiſtæ, contra quos ex profeſſo Latinum librum, ex quo fragmenta Libri Græci deſumpta
ſunt, quæ de Baptiſ. Auctor conſcripſit. De illis verum eſt illud Auctoris lib. de Præſcr. adu. hæret.
apud illos omnia extranea &c. contraria noſtræ veritati, & illud lib. de Baptiſ. *Non idem Deus eſt nobis*
& illis, nec idem Chriſtus, ideò nec baptiſmus, quia non idem. Quod ſatis conſtat de Hermogenia-
nis, Praxeanis, Cataphrygibus, & Quintillianiſtis, qui aut unicam agnoſcebant in Deitate per-
ſonam, aut Patripaſſiani fuerunt. De Marcionitis, Valentinianis, & Apellatianis, vel ipſe Aug.
dubitat. l. 3. de Baptiſ. c. 15. an verbis Evangelicis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti bapti-
zaverint, eo quòd & de Deo, & de Chriſto malè ſenſerint. Quare & nobis (ſicuti de Paulianis ſcri-
bit B. Auguſt.) credere licet eos regulam baptiſmatis non tenuiſſe, & (juxta quod loquuntur 2. & 6.
Synodi) in unam dumtaxat merſionem baptizaſſe. Quamquam interim S. Auguſt. lib. 6. de Baptiſ.
cap. 25. etiam illum pro vero baptiſmo agnoſcat, cujus precibus quædam inſeruntur contra catholi-
cam fidem, dummodo verbis Euangelicis conſecretur. Atque adeò ad ſimilia S. Cypriani verba,
qualia auctoris, eò quòd in genere ea adlegavit contra hæreticos omnes, antidotum adferre ſolet li-
bris ſeptem de baptiſmo contra Donatiſtas, qui omnium hæreticorum baptiſma impugnabant. Im-
primis ad id quod dictum eſt, *baptiſmum unum eſſe & hæreticorum baptiſmum veritatis non eſſe*,
quod habet l. de Pudic. l. 2. cap. 3. reſpondet & S. Aug. l. 5. cap. 21. & 29. lib. 6. cap. 8. 9. 12. 13. ad
illud: *Nemo inde ſtrui poteſt unde deſtruitur. Nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur*, l. 4. c. 11.
12. 13. 14. 15. 16. 17. ſicuti etiam ad illa ſupradicta: *Non idem Deus eſt nobis & illis, nec idem Chri-*
ſtus? ibid. & l. 5. c. 26. Ad illud: *Apud hæreticos extranea aut adverſaria veritati omnia*, lib. 6. c. 40. Ad
illud denique: *Baptiſmum quum ritè non habeant, nec poſſunt accipere quia non habent*, l. 7. c. 29. 33.
35. & 43. Ceterùm hoc unum hic repetendum, quod non fateatur ſemel Auguſtinus, neque Agrip-
pinum, neque Cyprianum cum ſuis emiſſuros fuiſſe Decretum tam generale adverſus hęreticorum ba-
ptiſmum, niſi ab aliquo Concilio plenario definitum fuiſſet, ſicuti poſtea, exceptis ſolis Pauliniſtis,
à Niceno generali 1. uti jam dictum eſt.

13. De Christo Dei Spiritu. *Apolog. cap.* 21. *lib. de Orat. cap.* 1. *Adversf. Marc. lib.* 1. *cap.* 19. *lib.* 3. *cap.* 6. *ac cap.* 16. *lib.* 4. *cap.* 21. *& lib. adverſ. Prax. cap.* 26.

DE hac phraſi Veterum, verba S. Hieron. adnotavimus in cap. 4. Epiſt. ad Gal. & Epiſt. ad Pammach. & Ocean. de erroribus Origenis, in lib. S. Cypriani de Idol. vanitate num. 71. Mul , inquit, per imperitiam ſcripturarum, (quod & Firmianus in octavo ad Demet. Epiſtolarum lib. facit) adſerunt Spiritum ſanctum ſæpè Patrem, ſæpè Filium nominari. Quod uſque adeò verum eſt, præter Lactantium eamdem ſit reperire apud Auctores Librorum de Montib. Syna & Sion, & adv. Iud. qui inſecuti ſunt Chriſtum in operibus S. Cypr. noſtris. Eodem haud dubiè pertinet, quòd toties *Chriſtum Dei Spiritum* appellet Tertull. idque eodem ſenſu quo Deus ſpiritus vocatur Ioan. 3. & 1. Ioan. 4. Alioqui diſtinctas ab eo, ſicuti ab aliis etiam Veteribus, tres in divinitate perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum conſtat ex eodem lib. adv. Prax. c. 2. n. 24. c. 4. n. 40. c. 8. n. 90. c. 9. n. 61. c. 13. n 75. ac 78. & illo ipſe c. 26. n. 158. c. 30. n. 183. Quibus locis illud longè apertiſſimum, quum *Spiritum ſanctum* vocat; *tertium numen divinitatis, & tertium nomen majeſtatis*.

14. De Christo revelato per prædicationem, anno Tiberii Cæſaris xii. paſſo anno ejuſdem xv. *lib. adu. Iud. cap.* 8. *lib.* 1. *adu. Marc. c.* 15.

QUamquam varient in priori loco exemplaria Tertulliani, tamen eam ejus fuiſſe ſententiam adſerit Euſeb. in Chronic. & ex poſteriori loco patet, immò & ex priori eodem c. n. 92. ubi *Paſſionem Domini* collocat *Coſſ. Rubellio Gemino & Rufino ſeu Fuſio Gemino*, quorum Conſulatus incidit in annum xv. Tiberii. In quo illum ſunt imitati Iul. African. lib. de tempor. apud S. Hieron. Comm. in Danielem Lact. lib. 4. c. 10. Paul. Oroſ. l. 7. c. 10. Atqui quum id ſit contra expreſſa Evangelii verba Luc. 3. ubi anno xv. Imperii Tiberii Cæſaris baptizatus legitur, fateri oportet humanitus hic aliquid Auctori illiſque contigiſſe. Quare rectiùs Clem. Alexandr. ſuo finem l. 1. Stromat. Euſeb. in Chron. Iornandus in Annal. Vener. Beda, Niceph. in Chron. Iornandus in Annal. anno Tiberii xvii. paſſum Chriſtum ſcribunt, ætatis nempè ſuæ 33. jam incœpto. De conſulatu quo paſſio Chriſti contigit, non ita conveniunt omnes. S. Auguſt. lib. 18. de Civitat. Dei c. ult. & Severus Sulpitius Hiſt. ſacræ l. 2. fortaſſis auctoritate ducti Tertulliani, non examinatis Faſtis Conſularibus, ſub duobus Geminis collocant, ſicuti etiam ſupraſcripti loco priori Auctores. Recentiores aliquot, qui Dominum anno ætatis xxxiii. paſſum ſcribunt, Conſules adſignant Galbam Syllam, qui anno Tiberii xix. Conſulatum geſſerunt. Verùm Evangelio magis conformis eſt eorum ſententia, & nominatim Caſſiodori Caſtigatoris, qui annum paſſionis adſignant Conſulibus Cn. Domitio L. F. L. n. Ænobardo & A. Vitellio P. F. Q. n. cum quibus conſentiunt adeò omnes ſupranominati, qui anno Tiberii xviii. paſſum Chriſtum ſcribunt. Qui plura deſiderat, videat Paulum Midelburgenſem Epiſcopum Foro ſemproniano in lib. 33. de anno & die Paſſionis Domini. Hoc unum adjiciam, quod habet S. Aug. lib. 2. de Doct. Chriſt. Ignorantia Conſulatus quo natus eſt Dominus, vel quo paſſus eſt, nonnullos coegit errare, ut putarent quadraginta ſex annorum ætate paſſum Dominum, quia per tot annos ædificatum eſt templum, quod imaginem Dominici corporis habet. Ubi fortaſſis tacitè ſignificat S. Irenæum l. 2. c. 39. & 40. qui nititur probare paſſum Chriſtum anno ferè quinquageſimo, & ſaltem poſt quadrageſimum æta tis annum, ex illo Ioan. 8. Quinquaginta annos nondum habes. Et verò ignorantiam illam Conſulatus contigiſſe veriſimile eſt ex variis Faſtorum Conſularium exemplaribus. Quorum quoſdam citant, prorſus alios quàm hodie exſtant. Epiphan. hær. 51. Salvatorem paſſum ſcribit Vinnicio Caſſioque Coſſ. quorum Conſulatus incidit dumtaxat in xiii. Tiberii annum juxta caſtigatiores Faſtos. Facit pro eodem liber ille Conſulatuum MS. in quo adnotavit Cuſpinian. in Caſſiod. Conſules collocari duos Geminos anno xviii. Tiberii.

15. De Deo corporeo, eo quod nihil incorporale ſit. *lib. de Pœnit. cap.* 3. *lib. adu. Hermog. cap.* 35. *lib. de Carne Chriſti*, *cap.* 11. *lib.* 2. *adu. Marc. cap.* 16. *& apertiſſimè lib. adu. cap.* 7.

HUnc errorem Tertulliano adſcripſerunt jam olim S. Auguſt. locis mox citandis, S. Fulgent. lib. 2. de fid. ad Petr. & Gennad. l. de Dog. Eccleſ. Verùm S. Auguſt. eum excuſat his verbis lib. 10. de Gen. ad litt. cap. ult. Timens ne nihil eſſet, ſi corpus non eſſet, nec de Deo valuit aliter ſapere. Qui ſanè quamquam (ſic enim lego, pro quoniam) acutus eſt, interdum contra opinionem ſuam viſa veritate ſuperatur. Quid enim veriùs dicere potuit, quàm id quod ait quodam in loco (nempè l. de Anima c. 7. 98.) *Omne corporale paſſibile eſt*? Debuit ergo mutare ſententiam, qua alibi dixerat (nempè l. ad. Prax.) etiam *Deum corpus eſſe*. Neque enim arbitror eum ita deſipuiſſe, ut etiam Dei naturam paſſibilem crederet, ut jam Chriſtus, non in carne tantùm, neque in carne & anima, ſed in ipſo Verbo, per quod facta ſunt omnia, paſſibilis & commutabilis eſſe credatur, quod abſit à corde Chriſtiano. Et rurſum ibidem verbis etiam ſupra citatis: Sed tremenda ſunt iſta, non ridenda. Ad hæc enim nunquam cogeretur, ſi aliquid cogitare poſſet, quod & ſit, & corpus non ſit. Rurſum l. de hæreſ. ad Quodvultd. hær. 86. ipſum etiam Deum corporeum eſſe dicit, licet non effigiatum (ubi adludere videtur ad lib. 2. adv. Marc.) Nec tamen hinc hæreticus creditur factus. Poſſet enim quoquo modo putari, ipſam naturam ſubſtantiamque divinam corpus vocare, non tale corpus, cujus partes aliæ majores, aliæ minores, valeant

valeant vel debeant cogitari, qualia sunt omnia, quæ propriè dicimus corpora (quamvis de Anima tale aliquid sentiat) sed potuit (ut dixi) proptereà putari *corpus Deum* dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas, sed ubique talis, & per locorum spatia nulla partitus, in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet. Certè ipse Auctor satis se explicat. Sic enim l. adu. Hermog. *Ut concedam interim esse aliquid incorporale, de substantiis dumtaxat; quum ipsa substantia corpus sit rei cujusque*, & lib. de Anima cap. 7. num. 96. *Nihil enim, si non corpus.* Item lib. de Carne Christi: *Quum autem sit, habeat necesse est aliquid, per quod est. Si habet aliquid per quod est, hoc erit corpus ejus. Omne quod est, corpus est sui generis, nihil est incorporale, nisi quod non est.* Denique lib. 2. adversus Marcionem, *Nam & dexteram*, inquit, *& oculos & pedes Dei legimus, nec ideò tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur. Quanta erit diversitas divini corporis & humani sub eisdem nominibus membrorum?* &c. Ceterùm *Deum incorporeum* docent ceteri Patres omnes, & inter hæreses collocant, contrarium affirmare, sicuti patet ex Philastrio, S. August. Epiphan. Theodoreto, Damasceno, Isidoro, Rhabano in Catalogis hæretic. quum Audianorum sive Anthropomorphitarum faciunt mentionem.

16. De Dei ira. *Lib. de Testim. Anim. cap. 2. lib. de Anim. cap. 16. Advers. Marc. lib. 1. cap. 26. lib. 2. cap. 10. lib. 4. cap. 15. & cap. 31.*

PRima quidem facie videtur Tertullianus *Deo* adtribuere *iram* dictis locis, sed ubique ferè *vindictam*, seu *ultionem Dei* interpretatur. Et verò id inculcare eum oportuit toties, non solum contra Gentes, sicuti primo loco, sed maximè adu. Marc. qui *Deum* adserebant *bonum* dumtaxat, non verò *vindicem* aut *judicem*. Quo fit ut latissimè adversus illum disputet, & contrarium ex scripturis ostendat, illis usus subinde, quæ *ira Dei*, atque adeò *vindictæ* mentionem faciunt, maximè l. adu. Marc. cap. 25 26. 27. & 28. l. 2. cap. 11. 12. 13. 14. 15. & 16. Est quidem locus unus, ubi *motus animi* in Deo videtur agnoscere, sed preterquã quòd ibidem, *æmulari, irasci*, interpretatur, *damnare, vexare*, postremo omnium loco se magis explicat, quum *moveri Deum, & motus in Deo*, pro ira accipit. Denique prorsus seipsum explicat dicto cap. 16. l. 2. in hæc verba: *Sive ira, sive æmulatio, sive sævitia, debita hæc omnia sunt severitati, sicut severitas debitum est justitiæ.* Deinde quum objecisset verba Marcionis: *Si Deus irascitur, & æmulatur, & extollitur, & exacerbatur, ergo & corrumpetur, ergo & morietur*; scitè admodum respondet: *Stultissimi qui de humanis divina prædicant, ut quoniam in homine corruptoriæ conditionis habentur hujusmodi passiones: idcircò & in Deo ejusdem status existimentur. Discerne substantias, & suos eis distribue sensus, tam diversos, quam substantiæ exigunt, licet vocabulis communicare videantur. Nam & dexteram, & oculos, & pedes Dei legimus; & ideò tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur.*

17. Ecclesiam esse in tribus, etiam laicis. *lib. de Exhort. castit. cap. 7. & lib. de Pudic. 21.*

NOn malè Tertull. lib. de Pœnit. cap. 10. nu. 60. dixerat, utpotè ante omnem hæresin: *In uno & altero Ecclesia est*, utpotè qui ibi adluderet ad illud Matth. 18. Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, quum præmisisset paulo priùs: Dic Ecclesiæ. Quod tamen de præfectis Ecclesiæ Episcopis, non verò de laicis interpretantur veteres omnes, ipse quoque eodem loco loquens de sacerdotibus, quibus fiebat exomologesis. Prorsus etiam Catholicum est illud l. de Bapt. cap. 6. nu 47. *Ubi tres, id est, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ibi Ecclesia, quæ trium corpus est.* Verùm ad hæresin pertinet, sicut etiam in Vita ejus adnotavimus, illud lib. de Exhort. castit. *Sed & ubi tres, Ecclesia est, licet laici. Unusquisque enim de fide sua vivit.* Maximè quum iisdem ferè verbis idipsum repetat l. de Pudic. ex quo loco colligitur eò venisse eum dementiæ, uti existimaverit *Ecclesiam* fuisse *in tribus*, nempè Montano, Prisca, & Maximilla, quò pertinet quod ibi prætereà negat, *Ecclesiam esse numerum Episcoporum.* Verùm latè contrarium deduximus Adnot. nostris in locum priorem, vel ex ipso Tertulliano adhuc Catholico, uti etiam adversus Magdeburgenses, qui inde colligebant Ecclesiam esse in paucis. Si quis plura desideret, perlegat libros, quotquot scripsit S. August. contra Donatistas, qui scripturas tum Veteris, tum Novi Testamenti undequaque congessit, quibus constet non in uno solo terrarum loco, utpotè Africa, Ecclesiam esse, sed toto orbe terrarum dispersam, juxta & vaticinia Prophetarum, & Apostolorum testimonia sole clariora: quò Lectorem remittimus, ne hic prolixiores simus. Hoc unum addemus, ad eamdem eius hæresin pertinere, quod ait Tom. 2. lib. de Coron. milit. cap. 4. num. 47. *An non putas omni fideli licere concipere & constituere, dumtaxat quod Deo congruat?*

18. De Ecstasi *sive* amentia, *sive* spiritu Prophetico Montani & insanarum Vatum Priscillæ, & Maximillæ, & similium. *lib. de Virgin. veland. c. 1. l. de Anima, cap. 9. c. 45. c. 47. lib. de Resur. carn. c. 11. ac c. ult. Adu. Marc. lib. 4. c. 22. & lib. 5. cap. 8. lib. ad Prax. cap. 1. ac 10. & cap. 15. ac cap. 30. Denique in Fragmentis librorum septem de Ecstasi.*

IStam hæresin Tertulliano jam olim impegerunt S. Pacian. S. Hieron. & Nicephorus locis citatis ad Fragmenta librorum eius *De Ecstasi*. Tom. 4. ubi ex eodem Hieron. & Epiphan. ostendimus *Ecstasin in Adamo*, Gen. 2. fuisse *profundum soporem, non mentis evictionem*, & *ecstasi in Apostolis* Matth. 17. ac

Luc.

Luc. 9. *Petro, Ioanne, & Iacobo*, neque *amentiam* fuisse, sed admirationis ecstasin, neque etiam cum Prophetia aliqua conjunctam. Deinde ex Apostolo 1. Cor. 14. quantumvis contrarium Auctor eliciat, addita perperam clausula, *in ecstasi* constare Spiritum Prophetarum Prophetis subjectum esse, utpotè quum (juxta Hieron. verba ibi citata, & Origen. Homil. 6. in Ezechielem) Prophetia, visio vocetur, quam adeò intelligebant prophetæ, propterea Videntes appellari, non verò ut amentes inviti loquebantur, aut sine mente sonum dabant. Vnde colligere est reverà *amentiam* fuisse, non *Prophetiam*, in Montano & eius Pseudoprophetissis, atque adeo Deo disponente factum esse, ut vel hac appellatione sibi ipsi contradiceret Auctor. Idipsum pulcrè ante illos adversus Montanum deduxit Apollinarius Hierapolitanus Episcopus apud Euseb lib 5 cap. 15. scribens illos spiritu quodam maligno abreptos, derepentè furore & mentis insania (quam *ecstasin* vocabant, exagitatos, peregrinas quasdam voces fundere, & contrà quā Ecclesiæ consuetudo, cùm traditione, tum successione antiquitùs ab Apostolorum temporibus eo usque derivata postulabat, prophetare scilicet cœpisse. Citat ille (apud Euseb. cap. seq.) & Miltiadis librum adversus eumdem, in quo ostendit, minimè credi oportere, quemquam *Prophetam* furore percitum *prophetare solere*. Neque enim (uti ex illo citat) quemquam Veteris aut Novi Testamenti *prophetam* adlegare poterunt, qui insano spiritu (*per ecstasin*) ad hunc modum fuerit aliquando exagitatus. Neque de Agabo, neque de Iuda, neque de Sila, neque de Philippi Act. 11. 15. 21. neque de Ammia ex Philadelphia, neque de Quadrato (cujus meminit Hieron. Catal. Script. Eccles.) neque de aliis quilvis prætereà, quòd vesano ipsorum more illa ex parte aliquando prophetaverint, omninò gloriari poterunt. Quorum nomina propterea sese recensuisse postmodùm indicat, quòd jactitarent, mulieres illas Montani illis omnibus in Prophetiæ munus proximè successisse, non aliter atque (teste Hieron. loco jam citato) in libris *septem de Ecstasi*, quorum septimum scripsit adversus Apollonium Tertullianus, in confirmationem ejusdem illarum Pseudoprophetiæ, scripsit *Melitonem suorum prophetam putatum*, ut ita tacitè successionem quamdam Prophetiæ tamquam veræ insinuaret. Denique Apollonius libro suo adversus Cataphrygas (uti legitur apud Euseb. ejusdem l. cap. 17. testatur Zoticum Episcopum Comanæ, quum Pepuzam adventasset, ibi Maximilla prophetare se simulante, insanum in illa spiritum deprehendisse. Similiter Serapion (ibidem c. 18.) Antiochenus Episcopus, Beatum Sotam in Anchialo voluisse Priscillę demonem ejicere, sed veteratorios illos hypocritas neutiquam permisisse. Ceterùm nihil pro Auctore facit, quòd lib. 5. adu. Marc. *Prophetandi jus etiam mulieres habere* contendat, ex eo quòd 1. Cor. 11. Apostolus *Mulieri etiam prophetanti velamen imponat*, quia non veram Prophetiam, sed mentis amentiam fuisse in insanis illis vatibus Priscilla & Maximilla jam probatum est: ut taceam quòd illa impugnet ipse adhuc Catholicus, lib. de præsc. adu. hær. 41. in hæc verba: *Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tinguere*, sicuti latiùs ibi deduximus, n. 260. 261. 262. ac 263. & ad lib. de Bapt. adu. *Quintillam*, etiam Montanicæ factionis fœminam, num. 2.

19. Filium Dei Christum semper visum ab hominibus in vera, etsi non nata carne.
lib. adu. Iud. cap. 9. lib. de Carne Christi c. 6. adu. Marc. lib. 2. c. 27. lib. 3. cap. 6. cap. 9. lib. 5. c. 19. lib. adu. Prax cap. 14. cap. 16. & Tom. 4. lib. 5. adu. Marc. carm. c. 5.

NOn illud Paradoxum videtur, quod scribit Tertullianus, *Filium Dei*, non patrem, quoties id in scripturis legitur, *visum vel auditum ab hominibus*, nempè quum apparuit *Adamo*, Gen. 3. *Noe*, Gen. 9. *Abraham*, Gen. 12. 17. 18. *Loth*, Gen. 19. *Agar*, Gen. 22. *Iacob*, Gen. 29. 32. 35. & *Moysi*, Exod. 3. & seq. 32. ac 33. quum id desumpserit ad verbum ferè ex S. Justino Martyr. Dialogo adu. Tryphonem, & partim ex S. Iren. lib. 3. cap. 6. ac lib. 4. cap. 23. & eos sequantur Novatianus lib. de Trinit. cap. 25. 26. 27. B. Cypr. lib. 2. Testim. adu. Jud. cap. 5. & 6. ex iis locis comprobantes, Christum non hominem solum aut angelum, sed & Deum fuisse appellatum: nec aliter S. Ambros. præfat. in Lucam, S. Epiph. in Ancoratu, prudentius adu. Anthropomorphitas, & Arnob. in psal. 104. Quò videntur adducti tum verbis illis, *Deum patrem*, sicut legit Auctor, *nemo videbit unquam, & vivet*, Exod. 33. ac similibus, Ioan. 6. non quia partem quis vidit, nisi qui à Deo est: & econtrariò illis Christi, Ioan. 8. *Abraham exultavit ut videret diem meum vidit, & gavisus est*. Quamquam interim S. Aug. lib. 3. advers. Maxim. cap. 26. & lib. 2. de Trin. cap. 10. 11. 13. 14. 15. 16. ac 17. maluerit adserere, Deum Patrem & totam Trinitatem visam dictis locis per subjectas creaturas, ut ne consentiret Maximino Ariano, cui non suffecit dictas apparitiones de Christo interpretari, sed inde colligere nitebatur Christum per divinitatis suæ substantiam visibus humanis apparuisse, a qua hæresi procul certè abfuit Auctor, quantumlibet eam quidem illi impingant. At illud Paradoxum est, & Tertulliano peculiare, quod aliquot locis dicat, *visum Christum in carne vera, & solida, etsi non nata*, idque zelo non secundum scientiam, uti tanto magis probaret, adversus Marcionem, aliosque eius asseclas, *carnem Christi*, quam postea ex virgine accepit, *non phantasticam fuisse, sed veram ac solidam*, si jam olim antè in carne vera visus diceretur. Alioqui certè lib. contra Praxeam S. Iustini Mart. sententiam secutus, qui eas apparitiones figuratas fuisse adfirmat, seipsum explicat: *Dicimus enim* (inquit priori loco) *& filium suo nomine eatenus invisibilem* (quod tamen negabat Maximinus) *qua sermo; visibilem autem fuisse ante carnem eo modo quo dicit ad Aaron & Mariam*, num. 12. *Etsi fuerit prophetes in vobis, in visione cognoscar illi, & in somnio loquar illi.* Et post adlegata verba illa Exod. 33. *Os ad os loquar illi in specie*, subiungit, *Igitur quum Moysi servat conspectum suum, & colloquium facie ad faciem in futurum, nam hoc postea adimpletum est in montis secessu, sicut legimus in Evangelio*, Luc. 9. *visum cum illo Moysen colloquentem, apparet retrò semper in speculo, & ænigmate, & visione & somno, Deum, id est filium Dei, visum tam prophetis & patriarchis, quam & ipsi adhuc Moysi.*

Nec

Nec absimiliter loco posteriori. *Ipse enim & ad humana semper colloquia descendit, ab Adam usque ad Patriarchas, & Prophetas, in visione, in somno, in speculo, in ænigmate.* Ceterùm S. Augustino locis jam citatis magis placet, ut dictis visionibus Christus quidem fuerit figuratus, sed per angelos, figura dumtaxat Deum apparuisse, idque probat ex scripturis, Osee 12. ubi *angelum* fuisse dicitur, qui cum Iacob colluctatus est, & Hebr. 13. quum dicuntur quidam nescientes angelos recepisse hospitio. Quibus adjicere licet, quod Deum, quem sibi in rubo & in Sina apparuisse Moyses dixit, hunc ipsum S. Stephanus Act. 7. angelum fuisse testatur.

20. De Fuga in persecutione non licita. *lib. 1. ad Vxor. cap. 3. lib. de Cor. milit. cap. 1. & libro integro eius argumenti.*

HVnc Tertulliani errorem, quem latè deducit lib. de Fuga in persecutione, conscriptum juxta S. Hieron. Sophron. & Niceph. adu. Ecclesiam, tam latè confutavimus nostris in illum adnotationibus ut non multis hic sit opus. Vide ibidem, quod ad calcem argumenti subjecimus, antidotum ex ipso auctore adhuc Catholico, tom. 2. lib. de Patient. cap. 13. num. 88. S. Cypriani locis aliquot; S. Athanasii Apologia pro sua fuga, & S. August. Epist. 180. ad Honoratum: è quibus etiam ad singula penè argumenta contraria respondimus: maximè cap. 4. num. 35. cap. 5. num. 39. cap. 6. num. 43. 47. ac 49. cap. 7. num. 54. cap. 8. nu. 55. 57. ac 58. cap. 9. num. 60. & cap. 18. num. 75. Verba Auctoris citata sunt ista: *Carnis patientia in persecutionibus prœliatur. Si fuga urgeat, incommoda fugæ caro militat. Si & carcer praeveniat, est in illa paupertate lucis, patientia mundi.* Quid? quod ex dicti libri cap. 11. videtur potissimum fugam improbare *præpositorum Ecclesiæ*, utpotè *quibus* (etiam juxta S. Athanas. Epist. ad Dracontium, & locum citatum S. Aug.) *fugere non licet, nisi grege fugiente, aut præpositum non desiderante*, id est, non indigente ejus opera; quum personalis est, ut sic loquamur, Episcoporum aut Pastorum persecutio. Quo casu etiam illis fugere licere, & multorum exemplis, & ex scripturis latè deducit S. Athanas. dicta sua Apolog. ad quam Lectorem, ne hic prolixiores simus, remittimus. Neque quidquam pro Auctore facit, quod *invitet Christus ad passionem contrariam fugæ. Qui me confusus fuerit, & ego confundar eum.* Marc. 6. quantumvis Scorp. advers. Gnosticos, inde colligere videatur *Martyria præcepta esse*: quia æque *præceptum* esse Tertullianus agnoscit illud: *Quum cœperint persequi vos, fugite de civitate in civitatem*: quia neutrum præceptum videtur, nisi secundum personas, tempora & causas, hoc quidem tempore persecutionis ob fidem Christi, iis quibus per animarum curam abesse licet; illud vero, si adprehensi fuerimus, vel in ipsa fuga. Præterquam etiam quòd utrumque apud Matth. eodem capite contineatur, sicque oporteat sanam accipiat interpretationem, ne sibi Evangelista contrarius videatur.

21. De Job, quod filiis ei non restitutis, voluntariam orbitatem sit passus. *lib. de Patient. cap. 14.*

IN exemplaribus libri Iob, quæ viderat Tertullianus, desideratum fuisse videtur, quod de filiis septem & filiabus tribus ei restitutis legitur in Hebræis, Caldæis, Græcis & Latinis exemplaribus: atque hinc factum opinor, uti peculiare istud, quod apud neminem Veterum reperire potui, Paradoxon sit secutus. Certè pluribus id improbare superfluum foret, quum eiusdem fere ætatis Origenes, Homil. 6. in Exech. illud legisse se significet, & post eum Patres omnes, tam veteres, quam mediæ ætatis, & recentiores. Quibus Auctor consentiret, si dumtaxat dixisset, *Iob reliqua quæ amiserat, reduplicata possedisse, exceptis filiis*, utpotè quos septem dumtaxat recepit, atque adeò totidem quot anteà. Id propterea interpretantur Philippus presbyter, S. Gregorius Papa, Beda, & Rupertus Comment. in Iob, quod septem priores filii adhuc vivere censerentur apud Deum.

22. De Maria Virgine, quòd communi lege patefacti corporis Christum pepererit. *Tom. 3. lib. de Carne Christi, cap. 4. cap. 20. cap. 23. Advers. Marc. lib. 3. cap. 11. lib. 4. c. 21. & lib. 5. cap. 19.*

TAle quid Tertullianum scripsisse satis manifestum est, sicut etiam Origenem hom. 14. in Lucam, & S. Ambros. in eumdem. Verùm possunt intelligi, juxta quod interpretatur S. Thomas Aquinas alicubi, de tali patefactione uteri, quæ claustra virginitatis non violaverit, sicut etiam nos adnotavimus ad illud Luc. 2. pro se citatum ab Auctore: *Omne masculinum adaperiens vulvam*, ad dict. lib. de Carne Christi num. 175. adductis ad hoc testimoniis Græci cujusdam interpretis, & S. Hieron. qui agnoscunt Christum nondum apertam vulvam virginalem aperuisse supernaturaliter, & clausam naturaliter servasse, juxta Ezechielis vaticinium, de porta Orientali clausa, per quam solus Pontifex egreditur, quæ nihilominus semper clausa permanet. Quò pertinet etiam S. Ambros. comparatio Epist. 81. ubi scribit, Christum sic exiisse de utero Virginis, sicut aquæ fluxerunt de petra, denique illud Auctoris loco secundo citato dicti libri: *Quid fuerit novitatis in Christo ex Virgine nascendi, palam est, scilicet hoc solummodò quòd ex virgine*, significans ibidem, & aliis locis hic citatis, se illud usque adeò ursisse, ut *verum* probaret *partum Christi ex Virgine*, contra Marcionem, qui phantasticum dicebat. Postmodùm interim, ubi satis fuit ea hæresis confutata, maluerunt patres definire, Virginem Deiparam clauso utero incorruptibiliter peperisse.

23. De Maria Virgine, semel nuptura post partum. *lib. de veland. Virg. cap.6. lib. de Carne Christi cap. 23. & lib. de Monog. cap.8.*

SAtis quidem obscurè in hanc hæresim impingere videtur Auctor, ita ut aliquo modo sanum sensum possint ejus verba recipere; verùm quandoquidem S.Hieronym. quum illum pro se citasset hereticus Helvidius, non neget illum tale quid scripsisse, neque ego ab ea ipsum excusandum putavi. Respondere sufficeret id, quod B.Hieron. de Tertulliano: Non aliud dico, quàm hominem Ecclesiæ non fuisse. Verùm quia seductum fuisse verisimile est iisdem, quibus Helvidium, Evangelistarum verbis, Matth. 12. Luc. 8. Joan. 7. *de fratribus Domini*, quos *verè fratres*, uti & *verè matrem* fuisse *Christi*, jam dict. lib. de Carne Christi cap. 7. num. 67. adserit, uti carnis Christi veritatem tantò comprobaret magis, aliquid de ejus phrasis intellectu adjiciendum est. Origenes, Hilarius, Euthymius, & Theophyl. in Matthæum, Euseb. lib. 2. hist. Eccl. cap. 1. S. Epiphan. lib. 3. Panarii adversus Antidicomarianias, S. Ambros. & Oeccum. in Comm. cap. 2. ad Galat. *Fratres Domini* putant appellari filios Ioseph ex Maria Cleophæ fratris sui vidua, ex qua liberos sex sustulerit, utpotè Jacobum, Ioseph, Simonem, Iudam & fratres eius. Idq; vel teste Origene, juxta Evangelium, quod Petri aut Iacobi titulum habebat. Verùm rectiùs S. Hieron. in Comm. Quidam *fratres Domini* de alia uxore Ioseph filios suspicantur, sequentes deliramenta Apocryphorum, & a quadam Escha muliercula confingentes. Nos autem (inquit) sicut in libro, quem adversus Helvidium scripsimus, continetur, *fratres Domini*, non filios Ioseph, sed consobrinos Salvatoris, intelligimus, Mariæ liberos materteræ Domini, quæ esse dicitur mater Iacobi minoris, & Ioseph, & Iudæ; quos in Evangelio *fratres Domini*, legimus appellatos; fratres enim consobrinos dici, omnis scriptura demonstrat. Vbi adludit tum ad scripturas de Loth fratre Abrahæ, Gen. 13. tum ad Matth. cap. 27. ubi juxta crucem adstitisse dicitur Maria Iacobi, & Iose seu Ioseph mater; quod de matre Domini non posse intelligi rectè adnotavit Euthymius. Ceterùm vide definitionem Ecclesiasticam hac de re apud S. Fulgentium lib. de Fide ad Petrum inter opera B. Augustini.

24. De mille annis post Resurrectionem corporum. *Lib. de Resurr. carn. cap. 25. Advers. Marc. lib. 1. cap. 29. lib. 3. cap. 24. lib. 4. cap. 29. in Fragment. libri de Spe fidelium.*

QVid Tertullianus hac de re senserit, satis arbitror deduxisse me tom. 4. ad Fragmenta lib. de Spe fidelium ex ipsis ejus verbis, nempè, *in terra quidem regnum Christi nobis repromissum ante cœlum post primam resurrectionem*, sed tamen ita, *ut in eo reficiantur Sancti omnium spiritualium bonorum copia.* Quam & si erroneam, utcumque tolerabilem tamen fatetur B. August. lib. 20. de Civit. Dei, quantum opinor, quòd eam etiam sit reperire apud S. Irenæum l. 5. de hæres. c. 32. 33. 34. 35. ac S. Iustinum Martyrem, Dialogo adu. Tryphonem, & Melitonem, qui in hoc sunt imitati, vel S. Hier. auctore, Papiam. Quibus adsentiuntur etiam Apollinarius, qui frustrà libros Dionysij Alexandrini contra Nepotem nisus fuit impugnare, Lactant. l. 2. c. 13. ac l. 7. c. 24. Victorinus in Apocalypsin, antequam à S. Hieron. emendaretur, & eodem teste, Severus in Gallo Dialogo de Vita S Martini. Quamquam etiam illis imputet (uti & Tertulliano, sed, quantum apparet, non rectè) Gennad. lib. de Dogmat. Eccles. potus & cibi deliciis fruituros sanctos. Alioqui certè, longè diversam patet fuisse Cerinthi, Marci, ac Nepotis hæresin. de quibus ipse ibidem, & Euseb. l. 3. cap. 22. ac l. 7. c. 20. post eum, & Nicephorus alicubi, aliorumque Chiliastarum seu Milliariorum, adversum quos agit S. Epiph. hær. 76. Vtpotè qui (sicuti & hodierni quidam Anabaptistæ) in illo etiam nuptiarum copulam; immò Cerinthus & Marcus omnia libidinum genera exspectabant, &, uti S. Hier. adserit, juxta Iudæorum δευτερώσειν circumcisionis injuriam, instaurationem templi, taurorum & arietum victimas, otium Sabbati, & cunctarum gentium servitutem, atque adeò bella, exercitus, triumphos, superatorum neces, mortemque centenarii peccatoris. Porrò quum omnibus iis imposuerit illud Apocalypseos S. Ioannis Apostoli (nam illi adscribunt omnes illi) c. 20. *hæc est resurrectio prima*, beatus est sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his erunt sacerdotes Domini & Christi, *& regnabunt cum illo mille annis*; de eius loci intellectu aliquid hìc adjiciendum est. B. Hier. Præfat. in lib. 18. Isai. Apocalypsin, non juxta litteram, sicuti à Iudaizantibus, sed spiritaliter, ut scripta est, edisserendam dicit, quod ipsum disertis verbis facit Comm. MS. Victorini in Apoc. à se emendato, Dionysium opinor Alexandrinum secutus, dictis advers. Nepotem libris S. August. apertiùs lib. de Civit. Dei. 2. c. 7. 8. 9. *primam resurrectionem* interpretatur animarum resurrectionem, etiam in scripturis agnitam, secundam corporum, & *mille annos*, aut tempus gratiæ, quæ remanebit ad seculi finem, eo loquendi genere, quo pars significatur à toto, aut pro annis omnibus hujus seculi, ut perfecto numero notetur ipsa temporis plenitudo. Quem sequuntur Ambrosio adscriptus commentarius, Primasius, Andreas, ac Beda Comm. in Apocalypsin. Neque etiam pro illis facit quod legitur Apoc. 21. de *Civitate Ierusalem descendente* in terrã novam. Quia ipse Apostolus Ioannes indicat se loqui de Ierusalem non terrena, quum addit. Et templum non vidi in ea (quod tamen aliqui ipsorum, uti supradictum est, etiam restitutum iri sentiebant:) Dominus enim Deus omnipotens templum illius est & agnus. Proinde de Ecclesia rectiùs Patres alii interpretantur, & militante in hoc sæculo, cujus fundamenta duodecim Apostoli, & in cœlis postmodùm regnante. Sicuti etiam illud Gal. 4. de *Ierusalem* libera, *quæ est mater nostra*; ubi repugnantia est in ipso adjecto: *quæ sursum est*, quæ etiam est in illo Philipp. 3. *πολίτευμα nostrum, in cœlis est*, proinde non in terris, ut mirum sit hæc pro dicta sententia ab Auctore nostro citari. Magis videbantur pro illo militare

qua

quæ habentur Isai.65.& 66.ac Hier.16.ac 31.denique Ezech.20.27.28.de *restitutione Iudææ* (ad quæ his tantùm verbis Auctor adludit) quæ nominatim citantur,partim à Sancto Irenæo,partim à S.Justino Martyre,verùm pulchrè in Commentariis suis Hieronymus allegoricè de Ecclesia Christum confitente, ejusque mysteriis illa omnia interpretatur,ubique irridens mille annorum illas fabulas,quò Lectorem compendii gratia remittimus.Facilior est responsio ad scripturas Gen.13.ac 15. quas (Irenæum imitatus)pro se citat Auctor, *de prima & secunda promissione Abrahæ semini facta*,priùs *in multitudinem arenæ*, deinde *ad instar quoque stellarum, quasi terrenæ & cœlestis dispositionis auspicia*, quia primam promissionem impletam constat multiplicatione filiorum Israel in terra Chananæorum, sive Palestina:secundam verò interpretatur Apostolus Paulus de gentium Ecclesia.Rom.9.& Gal.3.quomodo etiam utramque hanc promissionem distinxit Rhabanus noster Comment.in Genes.nec minus facilis ad illud Genes.27. ubi ad Jacob,cujus figuram Christianos ex gentibus gestare novimus, *prima promissio est cœlestis roris, secunda terræ opimitatis*,quia illam benedictionem tamquam terrenam interpretatur vel ipse Iacob verbis suis ad Esau postmodum prolatis,ubi dixit: Frumento,& vino,& oleo,stabilivi eum:&,si allegoricos velimus accipere,Procopius in Comment.de cœlesti rore interpretatur,qui instillatur piorum animis, & de terræ pinguedinibus,quas habet accipiens semen,idque centupliciter reddens. Deniq; facillima ad illud Luc. 12.*Quærite primùm regnum Dei,& reliqua adjicientur vobis*: quia loqui Christum de hac vita, non illa futura post resurrectionem,initium hujus Christi sermonis manifestum facit: Ideò dico vobis: *Nolite curam agere animæ de victu, & corpori de vestitu*. Ceterum partim ex Platone Dialog. de Rep.& in Phædro,desumptum hunc Millenariorum errorem,adnotavimus ad l.de Anima c.30.n.376. quem quum pro fabulis habeat auctor,mirum est quòd postea in eumdem impegerit: sed, sicuti satis deducit S.Hieron. Papiam,Melitonem,& alios supradictos Auctores,& maximè S.Irenæum secutus est.

25. De Nuptiis secundis damnatis tamquam stupris. *Lib. 1. ad Vxor. cap. 1. & lib. de veland. Virgin. cap. 10. ac cap. 11. lib. adu. Hermog. cap. 11. lib. de Resurr. carn. cap. 8. ac lib. adu. Marc. cap. 15. denique integris libris de Exhor. cast. & de Monogamia, ac lib. de Pudic. cap. 1.*

IN hanc hæresin Montanisticam paulatim delapsus est Tertullianus. Primum castitatis amore, librum scripsit ad Vxorem de *unis nuptiis*,in quo quidem ab illis dehortatur,sed tamquam stupra non improbat,immò quum lib.2.ad Vxor.si nubere velit,*saltem in Domino nubere debere,id est,Christiano*, latè deducit: non omninò tunc damnasse videtur secundas nuptias. Quamquam interim omni errore non careant hi libri duo.Imprimis quum l.1.c.1.n.11.*secundas nuptias confusionem*,& cap.4.n.23.*contumeliam*; & c.5.n.34.*detestabiles*, & alibi quoque *spurcas*,& *dedecus voluptuosum* appellat, quales sunt etiam loci illi jam citati lib.de veland.Virgin. De *secundis* enim *nuptiis*, his locis locutum fuisse,non de primis, vel hæc S.August.l.1.de bono viduitatis convincunt,quæ etiam antidoti loco hic adferunt:Non quia,inquit, innuptarum bonum honestum dixit Apostolus,ideò putare debemus turpe esse vinculum conjugale,alioqui etiam primas nuptias condemnabimus,quas nec Cataphrygæ nec Novatiani,nec disertissimus eorum adstipulator Tertullianus,turpes ausus est dicere.Deinceps l.adu.Hermog.errorem suum magis aperit his verbis,*Legem Dei in libidinem defendi*,ac,*totus adulter,& prædicationis & carnis,nubentium contagio fœtet*.Denique Libris de Exhortatione castit. & de Monog. Montanum secutus,non solum *stupra & adulteria & mœchiam* appellat *secundas nuptias*: sed etiam variis argumentis id probare nititur,sed frustrà,sicuti ex antidoto adnotationum nostrarum in utrumque,Lectori perspicuum esse poterit,quò,ne prolixiores simus,Lectorem remittimus. Vbi subinde pro Catholica de *nuptiis secundis non prohibitis* sententia, citavimus B.Hier.Epist.de Monogam.ad Ageruchiam,vulg.Gerontiam,de Viduitate ad Salvinum ac ad Pammachium,S.Aug.l.de bono Viduitatis,ac l.2.contra adu.legis & Prophetarum, S.Epiph.adu.Montanum hæres.59. & adu.Catharos, & Commentarios Veterum super Epistolas Pauli Rom.7.1.Cor.7.& 2. Cor.5. Quibus licet addere & illud B.Hieron.54.Epist.ad Marc.(qui alioqui videtur subinde iis iniquior) pro *secundis nuptiis*.Nos secundas nuptias non tam appetimus quàm concedimus,Paulo jubente, ut viduæ adolescentulæ nubant, illi (nempè Montani sectatores) in tantum putant scelerata conjugia iterata,ut quicumque hoc fecerit,adulter habeatur.Item illud in Epist.ad Titum etiam à nobis alicubi citatum. Scripsit & Tertullianus librum de *Monogamia* hæreticum, quem Apostolo contraire, nemo qui Apostolum legerit, ignorabit.Item illud S.August.hæres.126.lib.de hæres.Ideo Tertullianus factus hæreticus,quia transiens ad cataphrygas, quos antè destruxerat, cœpit etiam *secundas nuptias* contra Apostolicam doctrinam *tamquam stupra* damnare.

26. De Paracleto Montano. *Lib. de veland. Virg. cap. 1. lib. de Anima c.51. ac 58. Lib. de Resurr. carn. cap. 11. & cap. ult. Adu. Marc. lib. 1. cap. 29. ac lib. 5. cap. 15. & lib. adu. Prax. cap. 1. cap. 2. cap. 8. cap. 13. lib. de Monogamia, cap. 2. integro, & non semel in aliis libris sequ. de Fuga in persecutiòne, de Iejuniis, & Pudicitia.*

ADversus hanc hæresin longè absurdissimam sufficere possunt ipsa Tertulliani verba ante hæresin, l. de Præscript.adu.hæret.cap.52. hæresi 21.n.327. ubi *blasphemiam* appellat, *eorum qui secundùm Phrygas dicebantur,hæreticorum,qua in Apostolis quidem dicebant Spiritum sanctum fuisse,paracletũ non fuisse,& qua dicebant paracletum in Montano plura dixisse,quàm Christum in Evangelio protulisse.* Et tamen

men miser, fortè ab illis seductus, qui secundas nuptias detestarentur, tot locis jam citatis *Paracletum* vocat *Montanum*, & subinde verba illius *Paracleti* titulo citat. Immò detorquet ad suam hanc hæresin illud Ioan. 16. *Adhuc multa habeo loqui vobis, sed nondum potestis ea bajulare, quum venerit ille spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem, & superveniens adnuntiabit vobis.* Quod ipsum tamen Catholicè interpretatur dicto lib. de Præscript. adu. hæret. c. 8. n. 62. de Apostolis loquens: *Consequuntur mox Spiritum sanctum Paracletum, qui illos deducturus esset in omnem veritatem.* Et rursum. *Nationibus destinati Apostoli, ipsi quoque doctorem consecuturi erant Paracletum.* Vbi pro eisdem habet, *Spiritum sanctum, & Paracletum*, quum perperam illi distinguerent (uti vel ex ipso Tertulliano dictum est) *Spiritum sanctum, & Paracletum*: & illud ipse contextus Evangelistæ convincat, atque adeo sic locum illum interpretantur Veteres omnes, ex professo vero adu. hanc hæresin S. Aug. Tractatibus tribus in Evangelium Joannis: quò Lectorem compendii gratia remittimus.

27. De Pęnitentia męchis neganda. *Tom. 5. integro libro de Pudicitia.*

SIcuti in Vita Auctoris adnotavimus, quum omninò pœnitentiam omnem tollerent Montanus & eius sectatores Cata phryges (vel B. Hieronymo teste Epist. non semel citata ad Marcellam, & S. Paciano Tract. adversus Novatianos) in hoc ab iis dissentit Tertullianus, quòd solis *mœchis* eam *negandam* senserit, fortassis primùm seductus ab illis suæ ætatis Episcopis, qui S. Cypriano teste lib. de Lapsis, dandam mœchis pœnitentiam non putarunt. Verùm præterquàm quòd ex scripturis ille ibidem contrariam sententiam comprobet, de omnium peccatorum veniæ potestate in Ecclesia, Auctor adhuc Catholicus Tom. 2. lib. de Pœnitentia, quem ibidem ille imitatur disertis verbis: *pœnitentiam de omnibus delictis necessariam* deducit. Atque hoc est, quod dicit libro de Pudicit. cap. 1. num. 9. *adversus mea quoque sententia retrò penes illos societatem*, & haud absimiliter verbis etiam alibi non semel citatis Pacianus ad Novatianos verba faciens: Tertullianus post hæresin vester est, nam multa inde sumpsistis. Ipsum Epistola sua, & ea quam Catholicus edidit, audietis confitentem; *posse Ecclesiam peccata dimittere.* Item & S. Hieronymus dum dicit Tertullianum in Libro, quem de Pudicitia adversus Pœnitentiam scripsit, sententiam veterem nova opinione dissolvisse, in hoc secutum insanas & blasphemas fœminas suas. Quibus addere licebit Lectori scripta illa Veterum omnia de *pœnitentia*, quorum à nobis facta est mentio tom. 2. dict. lib. de Pœnit. cap. 1. & quæ à nobis dicta sunt, tum ad illum librum, tum ad alterum illum de Pud. ubi ad singula Auctoris in contrarium argumenta plerumque ex Paciano respondimus, adducta ad id præterea scripturarum aliquot explicatione sæpè ex ipso Tertulliano. Citavimus etiam ad cap. 9. num. 72. & 73. S. Hieron. Epist. ad Damas. de duobus filiis, ubi ex professo contra Auctorem agit, & inter cetera etiam defendit, publica nos fuisse, non ethnicos quod ille volebat, sed Judæos, idque exemplis Matt. ex Circumcisione Apostoli, publicanorum à Ioanne baptizatorum, & publicani orantis in templo, Luc. 5. 7. ac 18. qui si ethnici fuissent, cum illis Christus non habuisset convivium, ne legem solveret, neque hic in templum admissus fuisset. Et verò quoties id in Christo denotabant, quòd cum publicanis cœtum communicaret, ferè simul conjunguntur peccatores & publicani: atque adeo quòd cum ethnicis convivaretur, non reprehendebatur, sed quia cum peccatoribus. Quo pertinet Pharisæi murmuratio, Luc. 7. de peccatrice fœmina, in qua *pœnitentiam* agnoscit & *veniam* ipse Tertull. lib. 4. adu. Marc. cap. 18. num. 265. quam tamen ethnicam, nusquam Auctor *audet* dicere, quia ejus castellum Hierosolimis vicinum fuisse constat, Ioan. 11. Neque pro Auctore quidquam facit illud: *Non erit vectigal, pendens ex filiis Israel*, quia, etiam si non deberent pendere vectigal, antequàm Deo sic disponente, Romanis subjecti essent; quamquam odiosum fuisse publicanorum exercitium satis constet & infame, tamen sine peccato etiam potuisse exerceri, videtur ex illis Joannis Baptistæ ad illos verbis, Luc. 3. Nihil amplius quàm constitutum est vobis faciatis, sive uti ex Græco vertitur, exigatis. De ceteris dictas Adnotationes nostras consulat studiosus Lector.

28. De Psychicis, quo nomine Catholicis calumniam fecit. *adu. Marc. lib. 4. c. 22. adv. Prax. c. 1. lib. de Monog. cap. 1. ac cap. 11. & cap. 16. lib. de Iejun. adu. Psychicos integro, & lib. de Pudicitia cap. 1. cap. 6. cap. 10. & cap. 21.*

PSychicos, *animales* intelligi, satis comprobavimus, vel ex Apost. 1. Cor. 2. ad initium lib. de Ieiun. advers. Psychicos num. 2. quod nomen, jam in hæresin lapsus, Catholicis impingit, suos Montanistas è contrario *spirituales*, quod spiritum Paracletum Montanum sequerentur, nuncupans; illis calumniam faciens quasi prorsus animales, *passivitatem*, id est, licentiam vitæ sequerentur, utpotè ad secundas nuptias transeuntes, martyria fuga vitantes, & jejunia Montanistica improbantes. Verùm miser non animadvertit, Montanum animalem vitam gessisse, utpotè quum scorta essent Priscilla & Maximilla, quę relictis maritis Montanum sequebantur, & earum asseclæ martyria Christo negato evaserint, & siquid passi sint, ob latrocinia ante acta id toleraverint. Denique etsi tres Quadragesimas (de quo mox latiùs) celebrarent, tamen reliquo anni tempore genio indulgebant. Neque tamen novum id hæreticis, ut Catholicos *Psychicorum* nomine appellarint, seque spirituales; nam idipsum ridet Auctor in Valentinianis lib. contra Valent. c. 29. & 30. S. Irænenm secutus: quod post hos etiam scripsit B. Epiphan. l. de hæres.

29. De Quadragesimis duabus. *Lib. de Iejunio advers. Psychicos, in earum defensionem conscripto, maxime cap. 15.*

QVum Montanistæ tres observarent quotannis plenas septem septimanarum Quadragesimas, in hoc ab illis dissensisse videtur Tertullianus, quum separata ab illis cœpit habere conventicula, quod duas dumtaxat, sic enim ille *Quantula est apud nos interdictio ciborum? duas in anno hebdomadas Xenophagiarum, nec totas, exceptis scilicet Sabbatis & Dominicis, offerimus Deo.* Neque tamen propterea illi hæretici censendi sunt. Nam Amalarius lib. 1. de Divinis Offi. cap. 36. & lib. 4. cap. 37. describit piorum quorumdam Jejunia, qui tres Quadragesimas observarent, unam ante Pascha, juxta traditionem Apostolicam, alterā ex devotione ante festum S. Ioannis, aut potiùs post Pentecosten, tertiam verò ante Nativitatem Domini; nec absimiliter secundam Quadragesimam pro Pœnitentibus recenset Micrologus noster lib. de Obseru. Eccles. cap. 35. quæ etiam hodie quibusdam Monachis in usu est. Quò pertinet & illud S. Hieron. Epist. ad Lucin. Beticum, ab Amalario citatum: Vtinam omni tempore jejunare possimus, quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes, & die Dominico Paulum Apostolum, & cum eo credentes fecisse legimus, item jejunia illa strictissima priscorum Monachorum, tam ab illo quàm à Theodoreto, & Nicephoro latè descripta. Verùm hoc pro hæresi in Montanistis damnatum est, quòd necessitatem observandi has Quadragesimas, seu tres, seu duas usque adeò urgerent, ut vel eo nomine Catholicos Psychicorum, idest, sicuti jam dictum est, Animalium hominum appellatione calumniarentur, quòd secum eas observare nollent. Atque hoc est quod Epist. 54. ad Marcell. adu. Montanum urget S. Hieron. Nos (inquit) unam Quadragesimam secundùm traditionem Apostolorum tempore nobis congruo jejunamus, illi *tres in anno faciunt Quadragesimas*, quasi tres passi sint Salvatores, non quòd & per totum annum, excepta Pentecoste jejunare non liceat, sed quòd aliud sit, necessitate, aliud voluntate munus offerre. Hinc & Eusebius (juxta emendatiorem ex Græco translationem, anteà corruptam à quibusdam, uti in universum Iejunia Ecclesiastica tamquam Montanica damnarent) lib. 5. Eccl. hist. cap. 17. Theodor. hæret. fabul. lib. 3. de Montanistis, & Nicephorus lib. 4. hist. Eccl. cap. 22. Montanum novas Iejuniorum leges præter Ecclesiæ consuetudinem introduxisse & sanxisse scribunt.

30. De Repudio Christianis licito, ita ut alteram ducant, adulterii causa. *lib. 2. da Vxor. cap. 1. lib. 4. adu. Marc. cap. 34.*

VIdetur quidem prima facie tale quid Tertullianus sentire, quum *divortium* comparat *excessui mariti*, uti magis probet post hunc non licere alteri nubere, sicuti non licet post divortium nisi adulterii causa. Verùm sese explicat tom. 5. lib. de Monog. cap. 9. num. 70. & cap. 11. num. 89. Priori quidem loco, de repudiata uxore sic loquitur; *ut in totum sive per nuptias, sive vulgò alterius viri admissio, adulterium pronuntietur à Deo,* & mox clariùs, *per mortem utique, non per repudium facta solutione, quia repudiatis non permitteret Apostolus nubere adversus pristinum præceptum.* Valeant itaque Erasmus, & eius asseclæ, qui pro se Auctorem perperam citant. Certè contrarium jam definitum est Concilii Trident. sess. 24. can. 9.

31. Circa Trinitatem. *Tertull. Apolog. cap. 21. & lib. advers. Hemogen. cap. 3. adu. Prax. cap. 3. cap. 4. cap. 8. cap. 9. Item Novatian. l. de Trinit. c. 11. c. 22. c. 24. & c. 31.*

DE *Trinitatis fide*, id est, Trium Personarum, *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, sed unius essentiæ, non dubitasse Tertullianum, ex compluribus ejus locis manifestius est quàm ut probatione sit opus, maximè toto libro ejus argumenti, immò & tituli juxta editionem nostram adversus Praxean, ubi adversus illum eiusque sectatores Montanistas, qui *secundùm Æschinem* dicebantur, non modo probat *eumdem non posse dici Patrem & Filium*, sed etiam disertis verbis asserit: *Regulam fidei quæ ab initio Euangelii decucurrit unitatem in Trinitatem disponere, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.* Nec aliter Novatianus libro de Trinitate *Regulam fidei* proponit, cap. 1. 3. ac 29. qua *credamus in Deum Patrem & Dominum omnipotentem rerum omnium perfectiss. creatorem, & in Filium Dei Iesum Christum Dominum Deum nostrum, & etiam in Spiritum sanctum.* Verùm dum illis Paradoxa *circa Trinitatem* adscribimus, hoc solùm volumus, subinde ipsos utpotè ante omnem de Trinitate hæresin, obscurè loqui in hac materia; & ut ne quis inde fortassis occasionem sui erroris aut hæreseos accipiat, quomodo sano intellectu tales loci explicari possint, adiicimus omittentes jam primùm Rhenani calumnias in Scholasticos Theologos, quas habet ille sua ad Lectorem Admonitione de quibusdam Tertulliani dogmatis: Maximè quòd calumniā faciat ipsi quoque Tertulliano, tum in locis quibusdam corruptis, aut malè intellectis, de quibus mox latiùs, tum in eo quòd falsò illi hæresin adscribat putantium in Eucharistia Corpus Christi, tantum esse in figura, à qua illum vindicavimus Adnot. nostris in lib. 4. adu. Marc. cap. 40. n. 662. tum quòd inter dogmata sive Paradoxa ponat, quæ ille pulcherrimè non solùm de pœnitentia publica, sed etiam de confessione secreta, vel ipso favente, latè deducit in libro de pœnitentia, de quo etiam dubitare non est veritus an Tertulliani esset, quum tamen S. Pacianus ex illo multa descripserit. Quò magis miror, non solùm retentam fuisse in postrema anni 1580. editione Parisiensi dictam illam admonitionem integram, sed prætereà universos errores Rhenani hæresin plerumque sapientes, sine addito antidoto: usque adeò ut Catholicus Lector mihi monendus sit, non minùs illas illi cavendas adnotationes, etsi subinde omissio Rhenani nomine, quàm eas quæ per Pium IV. & V. Romanos Pontifices interdictæ sunt in editionibus prioribus,

ribus, donec repurgatæ fuerint. Verùm ad rem veniamus. Primùm ubi sic loquitur Tertullianus in apolog. & add. Praxean: *Tres sunt non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma: nec potestate, sed specie; unius autem substantiæ, & unius status, & unius potestatis: quia unus Deus, ex quo & gradus isti & formæ & species*, vocat *statum*, quod Scholastici, & ipse quoque substantiam, *gradum*, quod illi non onem, *formam*, quod illi proprietates, *speciem*, quod illi habendi modum. Deinde illud lib. adu. Hermog. *Fuit temp..., quum delictum & filius non fuit*, ex zelo secundùm scientiam dictum est vehementius, ut ostenderet materiam non esse æternam; volens per hoc signare dumtaxat, quod habet S. Hilarius lib. 12. de Trinit. solum Patrem æternum, Filium autem illi coæternum esse; ut omittam quod ibidem ad similia verba, quæ sibi ex persona Arriani proponit, respondeat: Hoc humanum sensum & intelligentiam excedere mundi, non hoc capere rationem humanæ intelligentiæ, sed prudentiæ fidelis professionem esse. Seipsum autem explicat eodem sensu Auctor lib. adu. Prax. c. 5. n. 43. & seq. & totis cap. 6. ac 7. Deinceps his verbis eod. lib. adu. Prax. *Filio & Spiritu sancto secundum & tertium sortitis locum, tam consortibus substantiæ Patris*: id vult quod dicunt Scholastici, duabus emendationibus productos Filium & Spiritum sanctum à Patre improducto; aut *Filium esse secundam personam, & tertiam Spiritum sanctum*, sicuti posteà non semel loquitur. Verùm perperam illi impingit ibidem Rhenanus, quasi Filium & Spiritum sanctum appellet *membra, pignora, & instrumenta*, quum ea verba referantur potiùs *ad angelos alienos à substantia patris*, qui tamen Monarchiam Dei non evertunt. Similiter quum Spiritum sanctum tertium gradū dicit *gradum* intelligit originem. Quod rursum lib. adu. Prax. *προβολήν* non solùm Spiritui sancto, sed etiam Filio ex Patre adtribuit, malunt ita distinguere SS. Hilarius ac August. libris de Trinit. & alii Patres posteriores, ut generationem Filio, processionem attribuat Spiritui sancto. Quod ibidem eam interpretatur *prolationem rei alterius ex altera*, intelligit personas realiter non essentialiter disiunctas, sequitur enim: *quia prolatum dicimus Filium à Patre, sed non separatum.* Commodè etiam sunt interpretandæ propositiones illæ, *Omnis origo parens est, & omne quod ex origine profertur, progenies est*, item: *Trinitas per connexos & consertos gradus à patre decurrens*, Iā verò ibi: *Pater est tota substantia, Filius verò derivatio totius & portio*, totum accipit pro pleno seu plenitudine, non aliter atque Scholastici doctores, dum dicunt: Pater plenitudinem Deitatis possidet in primo signo originis, quia à se eam habet: Filius in secundo signo originis, quia ab uno per generationem communicatam a Patre; Spiritus sanctus in tertio signo, quia à duobus per spirationem eamdem numero essentiam accipit. Atque hoc est quod aliis verbis postea Auctor extulit: *Ex uno Patre omnia, quæ in Deo per substantiæ unitatem, & in unitate Trinitas unius substantiæ*, Item *unitas in semetipsa derivans Trinitatem, non destruitur ab illa, sed administrans*, ut *tota substantia* sit idem quod una substantia indivisa in tribus. Denique videtur *Filius* ab Auctore appellari *portio*, quia nec Pater, nec Spiritus sanctus est, tametsi unus Deus sint tres personæ, & non Filius, qui Pater, nec Pater qui Spiritus sanctus. Quum verò dicit ibidem: *Patrem majorem esse Filio*, intelligi debet, non quoad Deitatem quæ sit minor in eo, sed quatenùs (sicuti indicant verba sequentia) a Patre in ... nerato genitus. Atqui quamquam hìc satis obscurè dicatur: *Ipsum quod Pater & Filius dicantur, nonne aliud pro alio est?* pulcherrimè seipsum explicat postea, ita ut cum Scholasticis in eo consentiat, quòd *alius dicatur Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, sed non aliud*, eò quòd non sint idem Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & tamen ejusdem substantiæ. Si quæ præterea sunt alia dicto lib. adu. Praxean, quæ duriùs aut obscuriùs dicta sint, meminerit Lector totum hunc librum cautè legi & commodè intelligi debere. Ad *Novatiani* redeamus *Librum de Trinitate*. Imprimis quod habet c. 11. *divinitate sermonis in ipsa concretione permixta*, & si quid tale inveniatur jam dicto lib. adu. Praxean, intelligi debere de permixtione unionis, non verò de permixtione naturarum divinæ & humanæ, ibi adnotavimus n. 56. id comprobantes ex aliis pluribus eius Libri locis. Est fides recta (juxta Athanasii Symbolum) ut credamus & confiteamur quòd unus sit Christus, non conversione divinitatis in carnem, sed adsumptione humanitatis in Deum, unus omninò non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Deinde illud ibidem: *Ante quem nihil præter Patrem*, eodem intellectu accipiendum, quo id quod supra adduximus ex Tertull. lib. advers. Hermog. juxta quod adnotavimus ad eumdem lib. cap. 31. num. 141. Nec aliter quam jam diximus, quod ibidem *minorem Patre* dicit *ut Filium*. Cautè etiam debet legi illud, quòd videatur non aliam *unitatem Patris & Filii* interpretari quam *societatis concordiam*, adferens perperam ad hoc, locum 1. Cor. 3. pro sua sententia; quia Catholica fides & scriptura etiam, veritatem essentiæ agnoscunt in Patre & Filio. Denique quòd de Spiritu sancto non videatur consentire Catholicæ Patrum traditioni ex scripturis, factum putamus, non quòd negaret Spiritum sanctum æqualem Patri & Filio; sed nondum re definita, obscuriùs solent loqui Patres veteres ob materiæ summam obscuritatem, ita tamen ut commodum aliquem sensum patiantur.



Tertulliani Vita.

Antonius Possevinus e S. J. in Apparatu Sacro. To. III. p. 276.

TErtullianus Presbyter (ut habet Hieronymus in Catalogo) nunc demum primus post Victorem, & Apollonium Latinorum ponitur, provinciæ Africæ, Civitatis Carthaginiensis, parte Centurione Proconsulari. Hic acris, & vehementis ingenii sub Severo Principe, & Antonino Caracalla maximè floruit, multaque scripsit volumina, quæ quia nota sunt pluribus, prætermittimus. Vidi ego quendam Paulum Concordiæ, quod Oppidum Italiæ est, senem, qui se B. Cypriani, jam grandis ætatis Notarium, cum ipse admodum esset adolescens, Romæ vidisse diceret, referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unam diem præteriisse, ac sibi crebro dicere: *Da magistrum*, Tertullianum videlicet significans. Hic cum usque ad mediam ætatem præsbyter Ecclesiæ permansisset, invidia postea, & contumeliis clericorum Romanæ Ecclesiæ, ad Montani dogma delapsus, in multis libris novæ Prophetiæ meminit: specialiter autem adversus Ecclesiam texuit Volumina: De pudicitia, De persecutione, De Jejuniis, De monogamia, De extasi libros sex, & septimum, quem adversum Apollonium composuit. Ferturque vixisse usque ad decrepitam ætatem, & multa, quæ non extant, Opuscula condidisse. Hactenus Hieronymus; ad quem Suffridus notat hæc: *Concordia, quod oppidum Italiæ est*: Gemblacensis Cod. m. s. habet, *Concordiæ Oppido Italiæ*, quam phrasim & Sophronius retulit. *Da magistrum*; Codex Gembl. particulam, *Da*, non habet, quæ phrasis magis videtur emphatica, tametsi Sophronius habeat ἐπιδός.

At & alii vitam Tertulliani scripsere, præsertim Jacobus Pamelius, qui egregiam operam posuit in illustrando, & emaculando tam antiquo Scriptore. Sed illud sciendum, Beati Rhenani Scholia in Tertullianum, jam in Romano Indice omnino esse prohibita.

Similem operam antequam Pamelius cum Tertulliano prodiret, posuerunt in hoc inter pretando Renanus Laurentius de la Barre, qui anno 1580. Parisiis editus est, quemadmodum Tertullianum Pamelii ibid. ann. 1583. apud Michaelem Sonnium.

Sed & anno octogesimo quarto hujus seculi, Romæ editi sunt apud Franciscum Zannettum: Loci ex conjectura Latini Latinij Viterbiensis, vel restituti, vel aliter lecti in Tertulliano post editionem Jacobi Pamelii Brugensis, de qua supra diximus.

Quin etiam nobis ostendit Guidus Pancirola Iuris utriusque Consultissimus, & primarius in Patavina Academia Legum interpres, quę dudum in exponendo Tertulliano laboraverat. sed aliis publicis negociis distentus, superveniente præsertim Pamelii Opere, nil in lucem eorum laborum emisit.

Iam verò huc adjicimus, Tertullianum à Hieronymo Commellino editum, tum quòd & ipse à fide Catholica in Civitate, quæ dudum se ab Ecclesia Catholica subduxit, eam protulit editionem: in qua si quid boni esset a catholicis hausit, reliqua verò suspecta esse debent.

Accessit postea Confessio Tertulliana, & Cyprianiana, fidem Romanæ Ecclesiæ à 1400. annis dilucidè repetens, Auctore Francisco Theodoro Petreo, unà cùm antidotis pro eadem Confessione adversos Lutheranos, & Calvinistas. Parisiis apud Nivellium ann. 1603.

Atqui cum Baptista Egnatius, Ioannes Gagnęus Parisiensis, ac nonnihil Angelus Politianus, & quidam alii in Tertulliano collaborassent, eos hinc missos facimus, quòd posteriores adhibitæ aliorum curæ hoc nostro erudito seculo, viam omnem in salebrosis, si qui erant, locis, complanarunt. Judicium tamen si quis Politiani quærat, legat Epistolam eius quintam libro 4. Enchiridii suarum Epistolarum, Florentiæ datam, Pridie Idus Ianuarii ann. 1491.

Porrò Pamelius optima Partitione librorum Tertulliani, sic eum emisit, ut Tertulliani Operum Tomus Primus contineat libros adversus Gentes & Judæos, initio susceptæ fidei plerosque conscriptos.

De Pallio.
Apologeticum adversus Gentes pro Christianis.
De testimonio animæ adversus idola.
Ad Scapulam.
Adversus Judæos.

In secundo autem Tomo habeantur libri Parenetici, sive Admonitorii ad Christianos.

De Pœnitentia.
De Oratione.
Ad Martyres.
De Patientia.
De Spectaculis.
De Idololatria.
De Habitu muliebri.
De Cultu fœminarum.
Ad Uxorem, libri duo.
De corona militis.
De Velandis Virginibus.

Tertius Tomus complectatur scripta adversus hæreses.

De præscriptionibus adversus hæreticos.
De Baptismo adversus Quintillam.
Adversus Hermogenem.
Adversus Valentinianos.

De anima adversus Hæreticos, & Philosophos.
De Carne Christi adversus quattuor hæreses.
De Resurrectione carnis.
Adversus Marcionem, libros quinque.
Adversus Gnosticos Scorpiacum.
Adversus Praxeam.

Tomus verò Quartus Sacra Poemata continet cum fragmentis Operum, quæ desiderantur.

Adversus Marcionem, libros quinque.
De Iudicio Domini.
Genesim. Sodomam.
Ad Senatorem ex Christiana Religione ad Idolorum servitutem lapsum.

Græcorum Operum fragmenta.

Ad amicum Philosophum de Nuptiarum angustiis, seu De virginitate.
De Fato.
De mundis, & immundis animalibus.
Adversos Apelletianos, qui disputabant, an qui spiritum, & voluntatem, & virtutem Christi habuerint, ad ea opera dignum aliquid pœnitentia egerint.
De Paradiso.
De Spe fidelium.
Aliorum denique aliquot ei falsò adscriptorum.

Librorum notulas:
De Circuncisione.
De vestibus Aaron.
De Trinitate.
De censu animę adversus Hermogenem.
De Ecstasi, lib. sex.
Adversus Apollonium.

Tomus. Quintus ea, quæ in hæresi, sive Adversus Ecclesiam scripsit, cum iis, quæ aliena sunt.

De exhortatione castitatis.
De Monogamia.
De fuga in persecutione, ad Fabium.
De Iejuniis adversus Psychicos.
De Pudicitia.
Novatiani librum De Trinitate.
Ejusdem De cibis Judaicis.
Eiusdem Epistolarum De vera circuncisione, & vero Sabbatho, Notulas.

Præterea Vitam Tertulliani optimè Pamelius, eademque opera vigintiquatuor annorum historiam eius temporis collegit. Qua vita præter uberem eruditionem, ostendit in quibus lapsus sit Gesnerus, qui in sua Bibliotheca libros aliquot Tertulliano tribuerit, qui Tertulliano I. C. qui multis post annis sub Alexandro Imperatore vixit, erant tribuendi, nempe legum Rescripta ex libris de Senatusconsultis, ac ad S. C. Libonianum, & Orphitianum.

Post Tertulliani Vitam, quæ omnino prælegenda est ei, qui pedem velit interius inferre in Tertulliani scripta, quosdam hujus errores notat sapienter Pamelius, quos *Paradoxa* vocat, & eis Antidotum adjungit, quo antidoto postea tutò decurri possit in eius Auctoris lectione. Nam in quibus impegit Tertullianus de Angelis desertoribus, deque eorum apparitionibus, De anima primi hominis, deque posterorum animalibus, sive de animæ sexu, & multis aliis tum ad Ecclesiam, & spiritum Ecclesiasticum, tum ad Christum pertinentibus, uti & de Nuptiis secundis, de Paracleto Montani, de Pœnitentiaque mæchis neganda, de Psychicis, de Quadragesimis duabus, de Repudio, deque Sanctissima Trinitate; omnia ut emissa sunt à Pamelio, & peropportuno loco, initio nempe eorumdem Operum, post Tertulliani, diximus, Vitam præposita, sic & prælegenda sunt.

Addidit Pamelius Proverbiales formulas in Tertulliani Opere contentas, brevibus scholiis illustratas.

Præterea Indicem Scripturarum Sacrarũ à Tertulliano, & Novatiano citatarum, uti etiam postea Auctorum a Tertulliano citatorum Catalogũ.

Ad hæc Indicem generalem rerum, Phraseon, vocumque Tertulliani.

Deinde in omnia ejusdem Opera, argumenta, & adnotationes accuratissimas non prætermissis, quæ sive a Rhenano, sive ab aliis scripta poterant retineri salva fide Catholica, & veritate rerum.

Sed & antiquitus Tertulliani errores S. Augustinus notaverat lib. de hæresibus, c. 86. Extat Tertulliani Carmen de Jona, & Ninive ex antiquo m. s. codice Petri Pithæi descriptum cum quibusdam ad eum Jureti Notis. in Tomo 8. Biblioth. Sanctorum Patrum Bignæi. edit. secunda.

Interim non omittam Iacobi Billii prudens monitum, unde hæc vox *Passivitas* apud Tertullianum fluxerit. Sic autem habet: Tertullianus lib. contra Valentinum ait Valentinianos de passivitate vitæ generositatem suam vindicare. Eodemque libro passivos discipulos eos vocat. Quo quidem loco, ut Beato Rhenano (inquit) facilè assentior, qui passivitatem vitæ pro turpi vita, ac voluptatibus dedita accipit, idque D. Hieronymi auctoritate probat, qui exponens illud Oleæ, *super capita montium sacrificabant*, passivam religionem, veræ religionis austeritati opponit. ita certè minimè hoc illi assentiri possum, quòd has voces ab adverbio, *passim*, à Græco πάντη deducit. Passivitas enim, & passivus voces sunt è Græco expressæ. Quod enim Græci ἐμπάθειαν dicunt, hoc Tertulliano passivitas est; Quòd rursus Græcis est ἐμπαθὴς id Tertulliano, & Hieronymo passivus est, hoc est, lascivis, atque obscœnis voluptatibus addictus.

Porrò Tertulliani tractatum de Corona militis, & librum De præscriptione adversos hæreticos, vertit è Latino in Gallicam linguã Audebertus Macereus. Vide in verbo, Audebertus Macereus. Vivebat ad initiũ anni ducentesimi Tertullianus.

Ro-

Tertulliani Vita.

Robertus Card. Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis. p. 68.

TErtullianus tempore Severi Imperatoris floruit, ut ipse testatur lib. 1. in Marcionem, in Apologetico cap. 4. & alibi. Initio catholicus ardentissimi zeli, deinde in Montani hæresim prolapsus contra Ecclesiam non pauca scripsit. Ergo opera Tertulliani indubitata sunt.

De patientia.	lib. 1
De carne Christi.	1
De resurrectione carnis.	1
De præscriptionibus adversus hæreticos.	1
Adversus Iudæos.	1
Adversus Marcionem.	5
Adversus Valentinianos.	1
Adversus Hermogenem.	1
Adversus Praxeam.	1
De corona Militis.	1
Ad Martyres.	1
De Pœnitentia.	1
De virginibus velandis.	1
De habitu mulìebri.	1
De cultu Feminarum.	1
Ad Uxorem suam.	2
† De fuga in persecutione.	1
Ad Scapulam.	1
De testimonio animæ.	1
De Anima.	1
† De exhortatione Castitatis.	1
† De Monogamia.	1
De Baptismo.	1
De Pallio.	1
De Idololatria.	1
† De Pudicitia.	1
† De Iejunio adversus psychicos.	1
Scorpiacum contra Gnosticos.	1
De Oratione.	1
De Spectaculis.	1
Apologeticus adversus gentes.	1

Ex his libris sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccl. dicit, scriptos esse contra Ecclesiam à Tertulliano jam tum hæretico, librum De Fuga in persecutione, De exhortatione castitatis, De Monogamia, De pudicitia, De jejunio, quibus crucem addidimus. Librum de oratione scribit S. Hilarius in Can. 5. Matthæi, esse volumen aptissimum, sed consequentem errorem auctoris detraxisse scriptis probabilibus auctoritatem.

Opera Tertulliani dubia, vel supposititia.

De Trinitate.	lib. 1
De cibis Iudaicis, epistola.	

De libro de Trinitate dissentiunt S. Hieronymus, & Ruffinus: hic enim in Apologia pro Origene scribit, librum de Trinitate Tertulliani ab hæreticis cum operibus sancti Cypriani conjunctum fuisse, ut fallerent incautos. Ille autem in secundo libro adversus Ruffinum contra asserit, librum illum de Trinitate, non esse Tertulliani, sed Novatiani.

Idem etiam S. Hieronymus in lib. de Script. Eccles. in Novatiano, scribit, Novatianum scripsisse grande volumen de Trinitate quasi Epitomem operis Tertulliani. Vbi apertè significat, Tertullianum quoque scripsisse de Trinitate, cujus libri epitomem Novatianus ediderit. Sed quicquid de hac re sit, dubitari non posse existimo quin liber de Trinitate, qui nunc extat inter opera Tertulliani, Tertulliani non sit: nam in eo libro refutatur nominatim sabelliana hæresis. Sabellius autem post tempora Tertulliani apparuit; & in tempora Novatiani incidit, ut notum est ex epistola Dionysii Alexandrini apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 5. Adde quod stilus (ut etiam S. Hieronymus annotavit) apertè clamat, librum illum Tertulliani non esse.

Liber, sive Epistola de cibis Judaicis, non videtur stilum habere Tertulliani: & videtur ab aliquo Episcopo propriæ plebi transmissus. Tertullianus autem Episcopus non fuit. Interim tamen nihil definio, sed causas dubitandi in medium pono. Illud postremo addendum videtur, Tertulliani libros cum judicio esse leggendos, non eos tantū, quos S. Hieronymo teste, contra Ecclesiam propriè scripsit, sed etiam librum adversus Praxeam, librum de anima, librum adversus Hermogenem, librum de carne Christi, & librum de pœnitentia. In his enim propositiones non paucæ, vel erroneæ, vel certè suspectæ occurrunt.

Philippus Labbè e S. I. in dissertatione Philosophica de Scriptoribus Ecclesiasticis, quos attigit Card. Bellarminus, Tomo secundo. p. 380.

QUintus Septimius Florens Tertullianus, Provinciæ Africæ, civitatis Carthaginensis, patre Centurione Proconsulari natus, vir & legum & Institutionum Romanarum peritissimus, τοῖς Ρωμαίοις νόμοις ἠκριβωκὼς, atque inter Scriptores Christianos admodum clarus, Romanæ Ecclesiæ Presbyter, acris & vehementis ingenii, sub Severo Principe ejusque filio Antonino Caracalla maximè floruit, (quis enim ferat Patrologi Jenensis insulsitatem qui Severum cujus meminit Tertullianus lib. 1. contra Marcionem & in Apolog. cap. 4. ad Imperiale solium an. 224. evectum esse nugatur,) vixitque usque ad decrepitam ætatem & annum æræ Christianæ circiter 215. lapsus sub vitæ exitum (annum quidam definiunt 208.) in Montani dogma & novæ Prophetiæ deliramenta, nonnulla scripsit adversus Ecclesiam, quam egregiis olim scriptis tanquam invictissimis propugnaculis contra omnium hostium incursus muniverat. Ea nos Bellarmini exemplum sequuti figemus obelo. De eo præter Eusebium, tum in Chronico ad annum Christi 207. Olymp. 246. 3. tum libri secundi Historiæ cap. 2. ejusque interpretem Ruffinum, videndi Lactantius libro quinto, cap. primo, Sanctus Hieronymus cap. 53. Catalogi, Sanctus Hilarius in cap. 5. in Matthæum, Augustinus de Hæresibus, Anonymus Prædestinatorum adversarius hæresi 36. & 50. Vincentius Lerinensis Commonitorio primo, Nicephorus Callistus, Trithemius, Beatus Rhenanus, Angelus Politianus, Jacobus Pamelius, Baronius, aliique.

Quod verò Sixtus Senensis libro quarto Bibl. sanctæ asserit Tertulliani scripta B. Cyprianum tanti fecisse, ut nullam diem sine eorum lectione præteriret, illudque crebrò inculcasse Paulo Concordiensi Notario suo, Da magistrum, Tertullianum videlicet significando, id meritò corrigendum videtur, neque enim patitur temporum ratio, ut à Notario sancti Cypriani quicquam didicerit Hieronymus, & ipse, si attentè legatur, in catalogo Hieronymus omnino refragatur: Vidi ego, inquit, quendam Paulum Concordiæ quod oppidum Italiæ est, senem, qui se B. Cypriani jam grandis ætatis Notarium, cùm ipse admodum esset adolescens, Romæ vidisse diceret, referreque sibi solitum, &c. Bellarminus veterem forte aliquam sequutus editionem, aut proprio genio indulgens, Tertulliani opera distribuit in indubitata, & dubia, vel supposititia. Possevinus Pamelianam partitionem in quinque Tomos exhibuit. Continet

Tomus I. *Libros adversus Gentes & Iudæos.*
Tomus II. *Admonitiones ad Christianos.*
Tomus III. *Scripta adversus hæreses.*
Tomus IV. *Poemata cum fragmentis.*
Tomus V. *Quæ adversus Ecclesiam, cum supposititiis, sive dubiis.*

Nos hoc loco repræsentabimus editionem Parisiensem anni 1641. secundis curis V. C. Nicolai Rigaltii I C. edolatam, qui utinam in notis hiisce prioribus ac posterioribus Cypriano additis, omnibus Theologiæ Professoribus Catholicis doctrinam suam probare potuisset: quod verbo saltem monuisse oportuit incautos Lectores, ut cum in iis insolens aliquod dogma aut interpretamentum, occurrerit, ad Pamelianam antidotum confugiant, aut Gretseri adversus Franciscum Iunium Calvinianæ sectæ Primipilum Observationes, & Confessionem Tertullianianam Theodori Petreii Cartusiani Parisiis anno 1603. in 8. editam Typis Nivellianis, evolvant.

Apologeticus adversus Gentes pro Christianis.

Ad Nationis libri duo, ex codice Agobardi Lugdunensis Archiepiscopi à Iacobo Godefredo I. C. Calviano ac Genevensi Professore primùm editi.

De testimonio animæ adversus idola.

Ad Scapulam: anno, ut creditur, 199. Æræ Christianæ.

De Spectaculis.

De Idololatria.

De Corona militis.

De Pallio,

De Pœnitentia,

De Oratione, cujus mentio apud S. Hilarium canone 5. in Evang. S. Matthæi.

Ad Martyres.

De Patientia. De hoc dubio dubitarunt Erasmus & Rhenanus repugnantibus Baronio, Pamelio, Rigaltio, aliisque: ac meritò sanè, cum eius sub Tertulliani nomine meminerit B. Pacianus Barcinonensis Episcopus ad Sympronianum contra Novatianos, & S. Cyprianus sub finem libri de Lapsis hunc fuerit imitatus, ut ad Trithemii ac MSS. codicum fidem nō appellem. Quod enim Critici stilum accuratiorem sibi videntur in eo Tractatu quam in cæteris agnoscere, hoc nihil ad rem facit, cum & Tertullianus in maximè indubitatis lucubrationibus eundem docendi characterem non semper observet: sed pro re subjecta eum interdum variet.

De cultu fœminarum libri duo; primum alii inscribunt, *de habitu muliebri.*

Ad uxorem libri duo.

De Virginibus velandis.

Adversus Iudæos.

De præscriptione Hæreticorum, sive ut alii, *de præscriptionibus adversus Hæreticos.* Cui additum est Scriptoris alicujus ævo illo proximi fragmentum, sive opusculum Hæreticorum Catalogū repræsenrans; quod nec S. Hieronymo libro adversus Luciferianos fuit ignotum.

De Baptismo.

Adversus Hermogenem.

Adversus Valentinianos.

De Anima; in cujus fine mentionem intulit libri à se de Paradiso scripti ad Geneseos caput secundum, ut par est credere. Tota Paradisi clavis, inquit ille, tuus sanguis est: Habes etiam de Paradiso à nobis libellum, quo constituimus omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini.

De Carne Christi adversus quattuor hæreses.

De Resurrectione Carnis.

Adversus Marcionem libri quinque.

Scorpiace adversus Gnosticos.

Adversus Praxeam.

† *De Exhortatione castitatis.*

† *De Monogamia.*

† *De fuga in persecutione, ad Fabium.*

† *De Iejuniis adversus Psychicos.*

† *De Pudicitia.* Hos quinque libros à Tertulliano in Montani hæresim lapso scriptos Heterodoxi quidam volunt nullius ferè usus esse in Ecclesia, cùm tamen multa ex iis erui possint documenta ad Catholicam fidem ac traditionem firmandam & Novatorum impia commenta penitùs convellenda.

Index sacrarum Scripturarum uti citantur à Tertulliano, tum Carmina incerti potiùs Auctoris, quàm Tertulliani, nimirum.

Libri quinque adversus Marcionem.

De Iudicio Domini.

Genesis.

Sodoma.

Periisse aliquot Tertulliani tractatus docet Hieronymus tum in præfatione Quæstionum ad Damasum tum in Catalogo & alibi, sed maximè in ep. ad Fabiolam: Fertur in Indice Tertulliani liber de Aaron vestibus, qui interim usque ad hanc diem à me non est repertus. Si à vobis propter celebritatem urbis fuerit inventus quæso, ne meam stillam illius flumini comparetis, non enim magnorum virorum ingeniis sed meis sum viribus æstimandus.

Index rerum memorabilium sequitur cum Observationibus & Notis Rigaltii ad libros Tertulliani & Indice Glossarum Stili Africani.

Novatiani *de Trinitate* liber (satius quippe fuerit S. Hieronymi quàm eius hostis Ruffini, sententiam sequi, quidquid murmur illent quidam Novatores, & *Epistola de Cibis Iudaicis*, &c. extant

in

in editione Pamelij & alibi. Eos vero Tractatus scitè Bellarminus post Pamelium probat non esse Tertulliani, & insuper Lectores monet, non tantùm cum judicio legendos esse libros quos Tertullianus adversus Catholicam Ecclesiam scripsit, sed etiam adversus Praxeam & Hermogenem, de Anima, de carne Christi, ac de Pœnitentia. Cur autem monitum illud addiderit, docebunt te si nescis, Paradoxa à Pamelio collecta atque discussa. In Bibliothecis Parisiensibus Veterum Patrum Tomo 8. legitur Tertulliani nomine insignitum Carmen de Jona & Ninive, ex antiquo MS. codice Petri Pithœi descriptum, cum quibusdam ad eum Francisci Jureti notis, quod cur omissum sit à Nicolao Rigaltio mihi incompertum, quemadmodum & Expostulatio ad Senatorem ex Christiana Religione ad Idolorum servitutem lapsum, quæ in Pameliana editione habetur. Hæc enim duo saltem non abhorrent ab Africana phrasi. Quod autem ad varias Tertulliani editiones spectat, & diversorum scholia, notas, observationes, &c. dicemus, si Deus voluerit, alio tempore.

Anno 1635. Parisiis apud Mathurinum Dupuis in volumen unum congesta sunt Doctorum aliquot virorum in Tertulliani opera Commentaria sive Annotationes & Argumenta textui prioris Nicolai Rigaltii editionis respondentia hoc ordine.

Jacobi Pamelii, Brugensis Theologi, Archidiaconi Audomaropolitani, argumenta & Annotationes: ubi & Novatiani quæ supersunt omnia, ac cætera, quæ in editione Rigaltii desunt.

Latini Latinii, Viterbiensis, loci ex conjectura vel restituti, vel aliter lecti in Tertulliano, post editionem Pamelianam anni 1583.

Beati Rhenani Selezestadiensis, Annotationes & argumenta cum Censura Inquisitionis Hispanicę anni 1612.

Joannis Mercerii IC. ad librum de Pallio Commentarius.

In eundem librum Edmundi Richerii Theologi Notę, & Theodori Marcilii Regii Eloquentiæ Professoris Interpretatio familiaris, &c.

Joannis à VVovuer ad Tertulliani opera Emendationes apodicticæ.

Gabrielis Albaspini Aurelianensis Episcopi Notæ in quosdam Tertulliani libros.

Omissæ verò sunt in eundem Doctorem Fr. Junii, Jac. Gretseri, Claudii Salmasii, Petavij, Lacerdæ, Georgii Capucini, Moræi Augustiniani, & aliorum lucubrationes, de quibus, ut jam dixi, plura aliàs.

Casimirus Oudin, Præsbyter Præmonstratensis, in supplemento de scriptoribus vel scriptis Ecclesiasticis a Bellarmino omissis. p. 41.

TErtullianus natione Afer, patria, ut credimus, Carthaginensis, in hæresim Montani lapsus, atque Ecclesiæ ab anno circiter 208. hostis, obiit anno circiter 215. scripsit multa, de quibus abundè & plusquam satis agunt suis locis Bellarminus & Labbeus, *in tractatu de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Hinc unum excutiam ad laudem eorum qui in Tertullianum labores suos côtulerunt, qua ratione quibusque temporum cursibus, opera illius ad perfectum adducta sint, & ad eam quam videmus formam atque ordinem.

Primus qui in hanc arenam descendit, & scripta doctissimi Tertulliani ex Manuscriptis Codd. hinc atque inde comparatis in unum collegit, hic B. Rhenanus, natione Germanus, patria Slestadiensis in Alsatia, qui ea quæ consequi potuit, doctissimis suis commentariis illustrata, in unum volumen congesta evulgavit in fol. Basileæ anno 1521. apud Frobenium. Tantùm valuit labor Rhenani in Tertullianum, ut impressio sæpius post hæc repetita fuerit Basileæ annis 1525. 1539. 1550. apud officinam eandem Frobenianam, & Parisiis Joanne Gagnejo Doctore Theologo procurante, locisque aliis quos recensere superfluum est. Alter qui in arenam eandem ingressus est, is Iacobus Pamelius Flandro Belga Brugensis Canonicus & Archidiaconus, Episcopus Audomaropolitanus designatus, qui labore incredibili inquirens quidquid ad Tertullianum spectabat, opus suum impressum in fol. Antuerpiæ anno 1579. dedicavit Catholico Hispaniarum Regi, Belgarum Principi. Divisit illud in quinque tomos, ut appellávit, scribens commentarium non in Tertulliani locos difficiles, ut assolet, sed continuum ferrè in omnia omnium tractatuum verba & sententias. Iterata impressio hujus operis Parisiis anno 1583. apud Michaelem Sonnium, & anno 1616. ibidem. Coloniæ 1617. Itemque Parisiis in fol. anno 1635. & alibi. Opus sanè magnum ac memoria æterna dignum, ob insumptos huic efformando labores. Tertius accessit Pamelio Brugensi doctissimus vir Ioannes Ludovicus de la Cerda Toletanus, Soc. Iesu, qui omnia Quinti Septimii Florentis Tertulliani opera notis & argumentis illustravit, impressa Parisiis anno 1624. duobus tomis in fol. apud Michaelem Sonnium. Quartus demum Nicolaus Rigault, seu Rigaltius, suas etiam curas huic Scriptori adhibuit. Hic neglecta omni illa divisione operum Tertulliani in plures vel pauciores tomos, uti fecerant Iacobus Pammelius ac Ludovicus Lacerdanus, simpliciter in uno volumine in fol. edidit omnia Tertulliani opera Parisiis anno 1644. quæ postea impressa anno 1662. ibidem apud Ioannem Dupuis, sub signo Coronæ aureæ, selectis ab illo variis notis ex Auctoribus qui Tertullianum commentati fuerant, sed brevibus & extra nauseam. Hi quidem non omnes, sed insigniores, qui in scripta Tertullianica laborarunt: post quos scripsit etiam in Tertullianum annotationes selectas, F. Georgius Ambianensis Capucinus, *Tertulliani redivivi titulo insignes*; quas 3. in fol. tomis anno 1646. Parisiis impressit Michael Soly, via Iacobæa, sub signo Phœnicis. Denique Carolus Moreau Eremita Augustinianus anno 1658. scripsit 3. in fol. voluminibus, *Omniloquium Tertulliani* impressum pariter Parisiis apud Jacobum Dallin, sub signo S. Stephani, & Thomam Iolly, sub signo ficuti Hollandici. Quisquis post tantos ac tam varios auctores, in Tertullianum commentari tentaverit, ludere, opinor, atque oleum perdere apud prudentes existimabitur.

Tertulliani Vita.

Ex Bibliotheca Auctorum Ecclesiasticorum P. Ellies Dupin. Tomo Primo. p. 126.

TErtullianus *a* ex Africa oriundus erat, & ex urbe Carthagine. *b* Centurio fuerat ejus Pater militiæ quæ sub Africæ Proconsule merebat. *c* Quin Ethnicus fuerit non dubitatur, *d* verùm latet quo tempore, aut qua occasione *e* in Ecclesiam ingressus fuerit. Regnante Severo præsertim floruit, & Antonino Caracalla, *f* h. e. circiter ab an. 144. usque ad an. 216. Christi Nativitatis. Aliquot post annis exinde vixisse videtur, cùm narret Hieronymus suo tempore famam fuisse illum ad summam pervenisse senectutem. *g* Sed quo tempore præcisè mortem objerit ignoratur.

Ejus ad uxorem libris satis liquet, eum matrimonio junctum fuisse, at quo tempore uxorem duxerit, in eis nulla mentio. Hac in re variant eruditi, alii volunt eum antequam Christianus esset uxorem duxisse, & ab ea discessisse Christianam amplectendo Religionem: alii credunt post Baptismum solùm eam duxisse. Hoc sollicitè expenditur, etsi continuò frustra videatur, quòd, cùm pro certò habeatur, Tertullianum paulò post ipsius conversionem ad fidem, ordinatum fuisse Presbyterum, si post Baptismum duxisset uxorem, nec ab ea discessisset, inde concludi posse videatur, ejus ætate existere potuisse conjugatos Presbyteros. Hinc tradit Pamelius, Tertullianum, priusquam ordinatus fuisset Presbyter Continentiæ voto uxorem astrinxisse: Sed cùm ex ejus ad eam Libris pateat, eum adhuc cum ea vixisse cùm illos scribebat, Tertulliani ac Origenis vitæ auctor, ut Pamelii sententiam tueretur, coactus fuit dicere, Libros illos à Tertulliano scriptos fuisse statim post ejus Conversionem ad fidem. Probabilius tamen est Tertullianum post Baptismum modo uxorem duxisse, *h* & suos ad uxorem scripsisse Libros solùm jam ætate provectum *i* paulò antequam in Montanistarum errorem incideret.

In illius scriptis nullus est locus ex quo concludi possit eum in Ecclesia Catholica fuisse Presbyterum, *k* verùm Hieronymus id ita affirmat, *l* ut nullus sit dubitandi locus. Ecclesiæ Romanæ Presbyter vulgò creditur. *m* Sed cùm Carthaginensis fuerit, & Carthagine fermè semper degerit, Carthaginensis Ecclesiæ potius quam Romanæ Presbyter dicendus est. Ad supremum usque diem hac non potitus est dignitate, nam postquam in Ecclesia ad 40. vel 45. annos permansisset, ab ea descivit tertio ineunte Ecclesiæ Seculo, *n* ut Montanum & ejus Discipulos sectaretur.

Quibus autem rationibus ab ea defecerit, quidam tradiderunt eum, quòd Victori in Episcopatu Romæ fuisset posthabitus, invidia descivisse: Alii, indignatione quod Carthaginensem Episcopatum, quem ambierat non fuisset adeptus; Alii denique varias attulere rationes; *o* minus adhuc verisimiles, verùm defectionis Tertulliani rationes afferre, nullius antiqui testimonio nixas, divinare est. Aliquid verisimilitudinis habet quod ab Hieronymo narratur, quod Clerus Romanus illi invideret, & quòd malè eum habuisset, eum in Ecclesiam iratum fuisse, & ab ea descivisse. Adde quod Montanistarum Sectæ austeritas, ejus ingenio ardenti & severo quo in omnia extra modum ferebatur, valde congruebat. Ideò ita in Catholicos exarsit & Ecclesiam injuriis proscidit, ex quo ab ea defecit. Ex ejus libris non patet eum erroris pœnituisse, & nemo Veterum id testatus est. E contra omnes de eo ut extra Ecclesiæ Communionem mortuo locuti sunt. A sana mente igitur alienum esset, sibi, cum quibusdam, fingere, in Ecclesiæ gremium eum tandem rediisse.

En accuratam vitæ Tertulliani epitomem. Nunc ad ejus scripta veniamus, & ordiamur ab excutiendo ordine quo fuerunt composita, ut posthac de iis accuratius feratur judicium. Ea sic expendendo ad temporum ordinem ratione habita, in duas possunt classes dividi. Prior ea comprehendit quæ adhuc Catholicus composuit: posterior verò quæ scripsit Montanista. Nullo negotio ea distinguuntur, quia in postremis de Montani S. Spiritu numquam non loquitur, de Montanistarum Prophetiis, & eorum inusitatis jejuniis, in secundas nuptias invehit, & in absolutionem á Catholicis concessam iis qui post Baptismum lapsi erant, aut denique in Catholicos, quos vocat Psychicos, h. e. Carnales & crassos. Verùm singula accuratius insuper excutienda sunt, & anni expendendi quibus hęc scripta sunt opera.

Librum de Pœnitentia Tertullianum adhuc Catholicum scripsisse liquet. Disertè enim in eo unum ex præcipuis Montanistarum erroribus impugnat, demonstrando eos qui post Baptismum peccata commiserunt, ab Ecclesia absolutionem eorum impetrare posse, dum eos illorum pœnituerit. An is Liber sit Tertulliani dubitavit Erasmus, quòd cæteris illius Auctoris Libris elegantiùs scriptus sit, & ob Erasmi auctoritatem hunc librum Rhenanus explosit. Atqui cùm Tertulliani nomine à Paciano quarti Seculi auctore citatus sit, quin sit Tertulliani, nullus videtur esse dubitandi locus: eò magis quòd stylus non multùm discrepet, nec mirum sit quòd Tertullianus adhuc Juvenis, & nuper conversus, Librum qui satis elaboratus videtur, elegantiús scripserit.

De Baptismo Liber circa idem tempus scriptus est. Nullum enim ex Montanistarum erroribus nedum continet, sed quod ait etiam, Episcopis Baptismum esse reservatum, nec unquam mulieribus docere & baptizare licitum esse, Montanistarum Disciplinæ videtur esse contrarium.

Demùm dubitari etiam nequit quin adhuc Catholicus de Oratione tractatum scripserit: nam in eo de Jejuniis loquens, nullum ait apud

Chri-

Tertulliani Vita.

Christianos jejunium esse solemne præter illud quod est ante Pascha: quod Montanistarum Disciplinæ dissonum est, qui plures injungebant Quadragesimas. Præterquam quod in eo tractatu de Pastore Librum citat, quem rejecit, ex quo fuit Montanista. Quo anno eius opera scripta fuerint certò definiri nequit, nec quod ex tribus primum fuerit compositum.

Liber Religionis Christianæ Apologeticus ad annum 200. Christi Nativitatis scriptus est *p*, ineunte Imperatoris Severi Persecutione. Romæ ab eo scriptus vulgò creditur, & ad Senatum: At verisimilius est eum fuisse in Africa compositum *q*, & revera non ad Senatum, sed ad Proconsulem Africæ, & Provinciarum præfectos scribitur.

De Patientia, & ad Martyres exhortatione Libri ad idem tempus scripti esse possunt. Verùm Liber ad Scapulam aliquot post annis tantùm compositus fuit, æquè ac duo Libri ad Gentes.

Deinde ut jam in Montanistarum partes inclinabat, circa annum 202. aut 203. de Spectaculis & Idololatria Tractatus scripsit. *r* Hic est duorum ultimus, cùm alter cap. 13. in isto citatus sit. Nondum erat penitùs tunc temporis Montanista, sed cum Montanistis idem sentire incipiebat, etsi apertè ab Ecclesia non defecisset. Ita affectus erat, cùm de cultu & habitu muliebri Libros composuit: *s* & duos ad uxorem Libros.

De Animæ Testimonio Libri certa non est Epocha *t*, at cum in eo nullum Montanistarum errorum vestigium occurrat, eum à Tertulliano, priusquam ab Ecclesia deficeret scriptum esse credibile est.

Ecce omnia quæ Tertulliano Orthodoxo tribui possunt opera, cùm cætera omnia certò ab eo postquam fuit Montanista scripta fuerint. Primi ex his postremis Operibus sunt Libri adversus Marcionem, *u* eorum certa est Epocha. Libro 1. enim cap. 15. ait se scribere Imperii Severi ann. 15. qui Christi est an. 207. In primo de Præscriptionibus librum promittit *x*. Sic etsi hoc Opus ultimum sit præstantissimum. & nihil non Catholicum habeat, fatendum tamen est, id ab eo jam Montanista scriptum fuisse, ni ab eo aliquandiù servatum esse dicatur ineditum: utut sit, jam id erat editum, cùm de Christi Carne suum scripsit Librum, in quo ad Præscriptiones remittit cap. 2.

Liber de Anima scriprus est post Libros contra Marcionem, qui in eo cap. 2. citantur, sed ante librum de Carnis Resurrectione, in quo citat librum de Anima, & de Christi Carne. Itaque Operum à Tertulliano post libros contra Marcionem scriptorum ordo hic est. Liber de Præscriptionibus, de Anima, de Christi Carne, & de Carnis Resurrectione. Hæc opera omnia abhinc ab ann. 207. usque ad annum 210. scripta sunt.

Liber inscriptus Scorpiacus, *y* Liber de Corona, *z* & de Pallio, *aa* ad idem tempus etiam scripti sunt, at quo anno latet. In libro de Corona, ait se Tractatum de Confessionibus, & Martyrum cruciatibus editurum. Scorpiacus à Baronio hic designari creditur. Ego verò existimo potius esse librum de Fuga in persecutione. Scorpiacus enim adversus Hæreticos scriptus est, cùm is quem meditabatur, Librum de Corona scribendo, contra pastores futurus esset qui persecutionis tempore recedebant.

Liber adversus Iudæos Severi exeunte Imperio scriptus est an. 209. ut ex eo patet, quod de Imperio Rom. habetur capite septimo *bb*. Librorum contra Praxæam, Hermogenem, Valentinianos scriptorum tempus incertum est, *cc* nisi quòd à Tertulliano Montanista editi sunt. Latet etiam quibus annis sequentes scripserit Tractatus pro Montanistis, & adversus Ecclesiam, de Pudicitia, Jejuniis, Monogamia, Exhortatione ad Castitatem, de Fuga in Persecutione, & eum in quo probat velandas esse Virgines. His addit Operibus Hieronymus sex Libros de Extasi, & contra Appollonium Tractatum, qui nobis perierunt.

Unus superest brevis ad Scapulam Tractatus, cujus certa est Epocha, nam post Severum mortuum sub Antonino Caracalla scriptus est ad ann. 213. *dd* & uterque liber ad nationes ad idem tempus editus *ee*. En universa Tertulliani Operum Chronologia.

Quædam sunt alia ejus nomine falsò inscripta. In hoc numero recensendus brevis Hæreseon Catalogus, qui de Præscriptionibus Libro subscriptus est. 1. Enim stylo est dissimili. 2. In vetere Agobardi Manuscripto non occurrit, Tertulliani operum Manuscripto antiquissimo: nec in alio vetere quo ad primam Tertulliani editionem Rhenanus usus est. 3. In quibus Manuscriptis occurrit, à Præscriptionibus divisus est, & aliquoties etiam in initio occurrit, nedum ad calcem, sic eum vidit Trithemius, & citavit.

4 Tertulliani de Præscriptionibus opus conclusionem habet ante illum Catalogum, in qua Hæreseon epitomem se ita editurum non pollicetur, verùm contra singulas seorsim scripturum.

5. Auctoris opus est qui post Epiphanium vivebat, à quo Marcionis mutuatur historiam, & ex Hieronymo fortè hausit, quod tradit contra Iudæos.

Tertulliani nomine extat de Cibis Judaicis Epistola, at stylo est omninò dissimili, necnon Scripturæ loca secùs quàm in Tertulliani operibus in ea citata sunt, quo illius non esse liquet. Pastoris est cujusdam ad suam Ecclesiam Epistola Persecutionis tempore scripta. Novatiano de Cibis Judaicis Librum tribuit Hieronymus, qui, ut est omninò verisimile, hic Tractatus est qui eodem modo inscriptus est.

Tertulliano quoque de Trinitate Liber tribuitur, qui illius non est. Nam præter Styli varietatem, de Sabellii Hæresi in eo fit mentio, quæ post Tertullianum orta est. Observat Hieronymus, à Novatiano de Trinitate Librum scriptum fuisse, in quo Tertulliani scripserat epitomem, & addit illud opus Novatiani Cypriano plures affingere. Liber de Trinitate de quo loquimur, Novatiani quidem posset esse epitome, eò magis quòd Ruffinus advertat Novatiani Librum à Macedonianis fuisse corruptum, quod huic de quo loquimur tra-

tractatui convenit, in quo super Spiritus S. Divinitate reperiuntur errores.

Postremò Tertulliani nomine plura habentur Poemata, quæ illius non magis sunt, quàm Virgilii, aut Homeri. Poema quod dicitur Genesis, illud esse videtur quod Salviano *ff* Massiliensi Episcopo tribuit Gennadius; Poema de Dei Judicio fortè est Verecundi *gg* Africæ Episcopi, cujus meminit Isidorus Hispalensis c.7. l. 1. de Viris Illustribus. In Poemate contra Marcionem *hh* opiniones occurrunt à Tertulliani sententia variç. Unum insuper est Poema ad Senatorem in editione Pameliana, aliud de Sodoma, & aliud de Jona & Ninive in Patrum Bibliotheca, quorum ignorantur Auctores: primum antiquum est; cætera duo ejusdem auctoris esse videntur. Hieronymus auctor est Tertullianum plures alios scripsisse tractatus, qui suo tempore perierant, & inprimis Librum de Aaronis Vestibus, cujus hic Pater meminit in sua ad Fabiolam Epistola. Librum quoque de Circumcisione citat, alterum de Animalibus puris, & impuris; Librum de Extasi; Librum adversus Appollonium: Tertullianus ipse quosdam alios, quos scripserat, tractatus citat, ut in suo de Anima libro, tractatum de Paradiso, & libro de Animæ testimonio c.2. librum de Fato, & alibi, librum de Spe Fidelium, & alium adversus Appellem. Prius item scripserat Opus contra Marcionem, quod cùm ipsius ætate periisset, novum edere coactus est. Demùm Græcè scripserat, de Baptismo, de Spectaculis tractatus, necnon illum in quo probat velandas esse Virgines.

Verùm de Tertulliani Operibus satis ratione ad Criticen, & Chronologiam habita, ea nunc excutiamus relativè ad res quas continent. Ea sic expendendo in tres possunt Classes distingui. Prima complectitur ea quæ adversus Ethnicos scripta sunt. Secunda quæ contra Hæreticos. Tertia verò quæ tùm ad Disciplinam, tùm mores spectant. Primæ Classis Opus primum eius est adversus Ethnicos Apologeticus, in quo iniquas quibus Christianos vexabant Persecutiones ostendit, & falsas quæ in eos intentabantur accusationes, & eorum Religionis præstantiam, ac Ethnicorum stultitiam eodem tempore demonstrat. Orditur ostendendo nihil injustius aut Legum ingenio magis oppositum, quàm indicta causa damnare, & plectere, absque quòd teneatur utrum damnandi locus sit.

Ita tamen quotidie Christianos accipi, odio haberi, damnari, & solo Christiano nomine plecti, etsi lateat, quid sit Christianum esse, aut id quærere securi sint. Ab Imperatoribus leges esse positas, per quas non licet hominibus esse Christianis, at leges illas iniquas esse, mutationi obnoxias, à malis latas Imperatoribus, & sapientissimorum, ac justissimorum menti contrarias. Calumnias deinde refellit quæ contra Christianos spargebantur, quòd scilicet nocturnis conventibus puerum manducandum jugularent, & extinctis luminibus libidini indulgerent. Nullum illorum criminum contra eos argumentum esse non modò demonstrat, sed eorum vitam, mores, Religionis principia ab illis abominationibus esse alienissima; „ Obsidemur quotidie, *inquit*, con„ tinenter prodimur, sæpè deprehendimur, & „ ipso Conventuum tempore opprimimur, nùm „ is puer mortuus, aut moribundus umquam re„ pertus est? Num aliquando quidam illorum „ criminum testis extitit? Num aliquis eorum qui nos deprehenderunt aperuit ea? Ethnicos insuper acrius urget apud eos ejusmodi crimina commissa fuisse demonstrando, pueros in Africa in honorem Saturni jugulatos, & alibi immolatos homines; mille stupris eorum Deos seipsos polluisse; cùm Christiani à jugulando puero ita alieni sint, & ejus bibendo sanguine, ut ne quidem bestiarum carne cum sanguine vescantur, & sic ab incestis abhorreant, ut plures sint apud eos, qui per totam vitam Virginitatem servent. Calumniis, quibus in Christianos invidiam concitabant, ita confutatis: ei quod ipsis objiciebatur quòd Deos non agnoscerent, nec eis sacrificia pro Imperatoribus offerrent, unde concludebatur, eos sacrilegii, & læsæ Majestatis reos esse, respondet uno verbo, Christianos non colere Deos Ethnicos, quòd non sint veri Dei, testem appellat sapientissimorum Ethnicorum conscientiam. Eis ponit ob oculos eorum fictitios Deos, homines plerosque fuisse reos, mortuos, & quorum Idola sine stultitia coli nequeunt, quæ vel prudentissimis Ethnicis fuere ludibrio. Quod nonnulli de Christianis jactabant, quòd Asini caput, & Cruces colerent, obiter refellit. Inde Christianorum Doctrinę explicandæ occasionem arripit. „ Unum, *inquit*, Deum colimus, hujus mundi Opificem, „ invisibilem, & incomprehensibilem, bonos „ vita æterna remuneraturum, malos verò æter„ nis suppliciis puniturum, post suscitatos mor„ tuos. Hanc probat veritatem creaturis singulis, „ quæ ita perspicuè demonstrat unum esse Deū, „ ut sit, inquit, vel summa malitia eum nolle „ agnoscere quem ignorare nequeas: sensu natura singulis insito, quo sæpè verum Deum invocant, ut cùm dicitur, si Deus videt, Deus vult, Deus non respicit, &c. quod vocat *Testimonium animæ naturaliter Christianæ*: Postremò cùm Mosis Librorum omnibus Græcorum operibus antiquiorum, tùm Prophetarum auctoritate, qui futura prænuntiarunt. Post igitur Dei probatam Unitatem, quam Iudæi agnoscunt æquè ac Christiani, ad Christi fidem Christianis propriam transit. Christianos ait eum merum non existimare hominem, sed Deum, Dei Verbum ex eius substantia genitum; ita Deum esse, & Dei Filium, & Patrem & Filium unum esse; Verbum in Virginem, ut olim prædictum fuerat, demissum, Carnem factum fuisse; & natum Θεάνθρωπον Hominem Deum. Ethnicos orat ut hoc sentiant saltem ut fabulam suis similem, donec illud invinctè probaverit, idque probat illicò Prophetarum auctoritate, qui clarè Christum prænuntiarunt, Miraculis ab ipso editis, Solis insolenti defectu qui ad ejus mortem contingit, in Ethnicorum Archivis observato, & denique ejus miraculosa Resurrectione. „ Atque hæc omnia, inquit, Pilati te„ stimonio firmata sunt, qui jam corde Christia„ nus ea scripsit ad Tiberium Cæsarem, & Cæsa„ res tunc temporis Christiani fuissent, si fieri „ posset, ut vel Orbis careret Imperatoribus, aut „ Imperatores forent Christiani. His addit Ec-

clesiæ

clesiæ vel invitis Persecutionibus constitutæ argumentum, & quod à Deorum Ethnicorum confessione desumi poterat, h.e., Dæmonibus Christo subditis, & iis invitis à corporibus quę iis possidebantur, solo Christi nomine ejectis. Hic ad probandum Romanos magnitudinem & prosperitatem suam Diis suis non debere digreditur, unde colligit Christianos læsæ Majestatis non esse reos, cùm Dii, quos nolunt agnoscere, Imperatores juvare & conservare nullomodò possint. „ Verùm, *inquit*, æternum „ Deum ad eorum salutem invocamus, Deum „ viventem, verum Deum, qui ipsis vitam „ dedit & Imperium, qui unus in eos habet „ potestatem, qui unus supra eos; & cui „ sunt proximi. *Ideo magnus est*, quia *Cœlo* „ *minor est*. Hunc Christiani orant Deum ex „ animo pro omnibus Imperatoribus, ut ipsis „ longam vitam indulgeat, pacatum regnum „ fidum Consilium, fortes milites, Populum „ subditum, & quidquid homo, & Imperator expetere potest. Subjungit Christianos ad id teneri plus quàm cæteros: 1. quia id illis Scriptura Sacra præcipit. 2. quia cùm eis persuasum sit mundum una cum Romano Imperio finem habiturum, infortunia dilata cuperent quæ sub ejus finem eventura erant, pro Imperii conservatione precando. Verum esse Christianos per Cæsarum genios non jurare, nec per eorum salutem, eorum geniis utpote Dæmonibus pretio fiorem, nec Imperatorum festa celebrare, ne scilicet in Idololatriam incidant. Cæterùm obsequentiores ac cæteris meliores esse subditos; licet viribus valeant si se tueri velint. „ Paucis „ abhinc diebus, *inquit*, duntaxat in orbe su„ mus, tamen jam ubique occurrimus, in ur„ bibus, in Vicis, in Exercitibus, in Palatiis, „ in Senatu, in Foris. Vobis solis Templa ve„ stra reliquimus. Quæ bella non suscipere„ mus? & quo animo non gereremus, cùm ve„ stris copiæ nostræ vel magno numero inferio„ res essent, nos qui quotidie tanto cum gau„ dio morimur? *Si non apud istam Disciplinam magis liceret occidi quàm occidere*? At ut ab Ethnicis objici poterat, quòd Religionis discrimen dissidium in Rempublicam inducere posset, & partes ac factiones gignere, ait Christianos, cùm sint sine ambitione & ambitu, quatenus Christianos, ita à conjurationibus contra Imperium alienos esse, ut nihil minus quàm Reipublicæ satagant. Et ut omnes hac veritate convincat, ecce quomodò suæ ætatis Christianos depingit, eorumque conventus. „ Unum „ Corpus sumus, *inquit*, ejusdem Religionis „ junctum vinculo, Disciplinæ similitudine, & „ ejusdem spei arrhabone. Convenimus, & ag„ men, ut ita dicam, constituimus, ut preci„ bus Cœlo vim inferamus, & ea vis Deo gra„ ta est. Non solùm pro nobis oramus; sed & „ pro Imperatoribus, eorum Ministris, Magi„ stratibus, Imperii bono, quiete & pace, & „ demum pro finis mundi procrastinatione. „ Convenimus etiamnum ad audiendam Libro„ rum sacrorum lectionem, variis necessitati„ bus nostris, ut erudiamur, & de agendis „ moneamur. Hæc Sacræ Scripturæ verba, fo„ vendæ fidei inserviunt, spei confirmandæ, „ & ejus præceptorum meditatione dirigendæ „ Disciplinæ. In his Conventibus hortationes „ & redargutiones fiunt necessariæ. Judicia „ multa cum æquitate & circumspectione fe„ runtur, quia Judicibus persuasum est ipsos „ Deum respicere. Divinæ sunt censuræ, & „ magna est futuri in aliquem Dei judicii opi„ nio præconcepta, cùm aliquo se adstrinxit „ peccato, cujus causa à Pane, Oratione, & „ fidelium Conventu excommunicatur, & uno „ verbo omnium sacrorum participatione pri„ vatur. Seniores, quorum nota probitas apud „ nos præsunt, & id honoris non emitur, sed „ virtuti datur, nihil enim divinum pecuniæ „ pretio æstimatur. Si aliqua nobis est thesauri „ species, Religioni nostræ non est dedecori, „ quasi ipsa venalis esset. Quisque secundùm „ facultates stipem, prout & quando ipsi libi„ tum est, erogat, quod singulis mensibus fie„ ri solet. Nemo cogitur; Quisque quod vult „ libenter erogat. Hæc sunt pia Deposita, non „ enim ea in comessationes, aut alios sumptus „ inanes profundimus: verùm ad alendos, & „ sepeliendos orphanos & pauperes, sublevan„ dos senes, & invalidos, subveniendum fide„ libus in Insulas relegatis, aut ad Metalla „ damnatis, aut in Vincula conjectis, quoad „ Christum confessi fuerint. Fratres nos voca„ mus singulos, non modò quod omnes natu„ ræ jure fratres sumus, verùm quia eundem „ Deum Patrem nostrum agnoscimus singuli, „ quia eodem Sanctitatis Spiritu ducimur, & „ tandem quia sunt apud nos omnia commu„ nia, si uxores exceperis. Agapæ vocantur E„ pulæ nostræ, amoris & charitatis cœnæ. Pa„ rasitis helluonibus non parantur, verùm pau„ peribus, cùm notum sit eos à Deo præ cæte„ ris diligi. Quod si illarum epularum causa est „ omninò sancta, non minus est sanctus exitus. „ Nihil turpe aut immodestum in iis observari „ potest. Non discumbitur, quin prius anima „ oratione nutrita fuerit, ad satietatem tantùm „ comeditur, quantùm castos & moderatos de„ cet bibitur, cavetur ne ad satietatem usque „ comedatur, ita ut hoc obstet quominus no„ cte ad Deum adorandum surgatur. De iis quæ „ fructui sunt colloquium feritur, quia coram „ Deo omnium quæ dicimus teste, nos respici„ mus: Oratione cœna clauditur, nec tumul„ tuatim & perturbatè receditur, sed ordinatè & „ modestè, ut iis non est difficile, qui magis „ animam disciplina omninò sancta, quam dis„ cunt, alendam curarunt, quàm corpus cibis „ quos comedunt. Christianorum conventibus ita descriptis, inìquè ipsis calamitates, & infortunia, quę contingunt, imputari demonstrat, quasi in causa forent cur contingerent. Ab ipsis ea averti probat, nedum arcessi. Concludit in Philosophis virtutes suscipi demostrando, quę multò prętiatiori & perfectiori ratione Christianis insūt.

Utriusque libri ad Gentes idem ferè est argumentum, quod Apologetici. In iis repetit Tertullianus pleraque eorum quæ in Apologetico docuerat, at alio ordine, ea explanat, & dilatat: ita ut hoc inter ea duo opera discrimē intercedat,

f quòd

quòd prius acri ingenio scriptum sit, nec valdè excogitatum, posterius verò tractatus est cum methodo, & excogitatus; Posterior Liber ad Gentes in fictitios Ethnicorum Deos scriptus erat. Omnium prophanarum Religionum numina in eo accuratè investigabat, & quàm stultè agnoscerentur ostendebat; sed liber ille adeò mancus est, & quod extat adeò malè cohæret, ut multi fructus esse nequeat.

In Libro *de Animæ Testimonio* Religionis argumentum extendit, quod in Apologetico protulerat, animam naturaliter agnoscere, & quasi invitam, unum duntaxat Deum esse, & alteram vitam ista præterita. Illud sensu natura ipsi insito demonstrat, & ita penitùs ei insculpto, ut nulla re deleri queat: adeò ut vel ipsi imprudenti excidat: ut cùm incogitanter jactatur, Deus velit, quod Deo placitum erit, adsit mihi Deus, bone Deus, &c. quæ supponunt animam Dei notitia imbutam esse, ut mortis timor natura insitus, nomen immortalitati commendandi desiderium, misericordia in defunctos, supponunt aliam ab ista vitam esse. Cùm autem hi sensus animæ, & singulis hominibus natura sint insiti, à Deo eos manare necesse est. En quod in eo brevi Tractatu lepidè admodum Tertullianus amplificat.

Liber ad Scapulam scriptus est ut illum Africæ Præfectum à Persecutione, qua in Christianos sæviebat, avocaret. Illi ob oculos ponendo orditur, à Christianis potius expeti, quàm timeri Martyrium; itaque non quòd illis timeret eum tractatum ad ipsum scribere, sed quòd Ethnicorum salutem optaret, quia Christiani sua Religione tenentur suos inimicos diligere, & eos ab errore, in quo versantur, avertere. Ei deinde declarat à Christianis coli Deum hominibus natura notum; Ei ponit ob oculos hominibus liberum esse debere Religionem amplecti quæ ipsis videtur verissima; alienam nocere, & inservire nemini. *Non est Religionis cogere Religionem, quæ sponte suscipi debet, non vi.* Christianorum vitam inculpatam esse subjicit; Imperatoribus summisse eos obsequi: Rebellibus numquam repertas fuisse conscios. „ Nemini, *inquit*, sunt hostes, & multò minus Im„ peratori, quàm alii cuilibet, & cùm nove„ rint à Deo eum constitutum esse, eum amant, „ colunt, venerantur, ejus incolumitatem, ac „ imperii cupiunt, quamdiu perstabit orbis: „ Imperatorem igitur modo nobis licito coli„ mus, & illi uni utili, h. e. ut hominem Deo „ proximum, qui à Deo recepit quidquid ha„ bet. Sacrificia quoque pro ejus salute offerimus, sed precum: Deo enim nec odore nec victimarum sanguine opus est. Christianis ita læsę Majestatis crimine purgatis, à persecutione in Christianos Scapulam avocat eorum exemplo qui eo quòd eos persecuti fuerint pœnas dederunt, & eorum qui satis moderati fuerunt, ut eos quietos reliquerint. En Libros a Tertulliano scriptos ad Religionem adversus Ethnicos defendendam.

Unus est modò adversus Judæos Liber, in quo 1. probat, Legem Mosaicam, & ejus Ceremonias ad tempus duntaxat positas fuisse, & ad Christi adventum abrogandas. 2. Messiam à Judæis expectatum, & à Prophetis prænuntiatum venisse, & Christum eum esse. Quod per Prophetas evidenter ostendit, qui adventus illius tempus, ac vitæ & mortis circumstantias prædicunt. A Judæis non agnitum notat, quòd ejus postremum adventum, quo potens & magna cum gloria exhibebitur, cum primo confuderint, quo sese humilem & abjectum ad aliorum hominum conditionem præbere voluit.

Quamvis Liber de Præscriptione contra Hæreticos, non sit temporum ordine primus eorum quos contra Hæreticos scripsit Tertullianus, rerum tamen ordine primus est, quoniam omnes aggreditur Hæreses, cùm cæteri unamquamque speciatim impugnent. Hic Liber de Præscriptionibus inscribitur, vel potius de Præscriptione contra Hæreticos, quia in eo Doctrinam eorum propter ejus novitatem non admittendam esse demonstrat. Priusquam ad rem veniat, eorum scandalum tollere conatur, qui mirabantur quod essent Hæreses, quòd ita graves ac valentes, & quòd forent clari in Ecclesia viri qui iis abripi se sinerent, Hæreses ostendendo fuisse prædictas, malum esse necessarium ad fidem probandam, *Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* Dato hoc necessario monito, primum statuit Præscriptionis principium. „ Nobis non licet, *inquit*, aliquid „ novi in Religionem intrudere, nec ex nobis „ ipsis eligere, quod alter invenerit. Domini „ Apostolos Fundatores habemus, qui ipsi nec „ inventores, nec auctores extiterunt eorum „ quę nobis tradiderunt; sed Gentibus fideli„ ter annuntiarunt quod à Christo acceperant. „ Ex Philosophia, & humana Sapientia à „ Christianæ Religionis ingenio alienissima or„ tæ sunt Hæreses. *Nobis curiositate opus non est* „ *post* Christum Jesum, *nec inquisitione post Evangelium*. Et cùm semel credidimus, nihil ultrà credere volumus. Hic respondet Hęreticis qui opponebant hunc Scripturę locum: *Quærite, & invenietis*, dicendo non esse licitum quęrere, cùm semel inventum est, laborem fore indefinentem veritatem inter omnes Hęreses investigare, & demùm si liceat quęrere, post admissam normam licet, h.e. præcipuos Fidei Articulos in Symbolo comprehensos. Verùm ut Hæretici Scripturam sacram laudabant ut se tuerentur: Ecclesiam non teneri demonstrat cum iis loca quę laudabant excutere; Hanc confutandi viam longam esse & difficilem, quod omnes non recipiant Scripturę sacrę Libros, vel corrumpant, aut falsos illis sensus affingant, quod victoriam quæ de illis refertur incertam reddit ac difficilem. Ait ergò inprimis tenere operępretium esse, apud quos sit Christi Fidei possessio; Quibus concreditę fuerint Scripturę, & quinam sint Religionis Auctores. A CHRISTO rem repetit Religionis nostrę fonte & origine, & ab Apostolis qui eam ab ipso acceperunt. Fieri nequire demonstrat, ut aliam à CHRISTI doctrina predicaverint Apostoli, & singulę Ecclesię Apostolicę aliam ab ea quę eis ab Apostolis tradita fuerat Eidem ample-

plexæ sint; unde concludit Doctrinam singularum earum Ecclesiarum doctrinæ consonam necessariò esse CHRISTI Doctrinam; contra verò nuperam esse dissonam. Hæreticos etiamnum ipsorum Doctrinæ novitate confundit. „ Liquet, *inquit*, CHRISTI antiquissimam esse Doctrinam, ac proinde veram, eam „ verò, quæ ab ejus Ascensione modò viguit, „ extraneam esse, & falsam. Hac posita indubitata norma Hæreticorum probat novam esse Doctrinam, & Ecclesiæ Doctrina posteriorem, quia Hæresiarchæ sunt Ecclesia constituta, à qua defecerunt, posteriores. Hæreticorum Sectæ ab Apostolis suam nequeunt repetere originem, nec Episcoporum ex eorum tempore successionem ostendere, ut Ecclesiæ Apostolicæ, quibuscum non communicant. „ Cùm aliquam stolis & Ecclesiis Apostolicis damnatæ fraudis eos & mendacii convinceret. Quod addiderunt, detraxerunt, aut mutarunt in Scripturæ Sacræ libris, innuit insuper eos suam commentos fuisse Doctrinam ex quo Libri illi scripti fuerunt. Denique eorum Disciplinam, & agendi rationem omninò humanam, & terrestrem, inordinatam, eos omninò contemnendos reddere. Accuratè retuli ratiocinia Tertulliani in hoc opere, quoniam ut ipse notat, non modò sunt ad Hæreses illius temporum refellendas idonea, sed & ad eas omnes convincendas quæ exinde ortæ sunt, & orientur ad Ecclesiæ finem usque.

Non tam excurram in opera adversus Hæreses scripta, quæ jam exoleverunt. Illorum præclarius est quod contra Marcionem composuit, in quinque partitum Libros. Hæreticus ille duo docebat esse principia, aut duos Deos; bonum unum, malum alterum; Perfectum unum, imperfectum alterum: Hunc posteriorem illum esse quem colunt Judæi, qui Mundum creavit, & Legem Mosaicam tradidit: cùm prior sit Pater CHRISTI, quem misit ad destruenda Mali opera, h.e. Legem & Prophetas, quos explodebat Marcion. Christum etiam credebat vera carne indutum non fuisse. Sicque non revera, sed φαντασικῶς in speciem tantùm passum esse. Hos confutat errores in hoc opere Tertullianus. In primo Libro, Deum Marcionis incognitum, demonstrat esse Deum phantasticum, nec esse posse. In secundo Deum probat, Mundi Creatorem à Judæis cultum unum esse verum Deum, & omnis boni Auctorem. Hac veritate invictè probata difficultates solvit Marcionitarum contra Dei agendi rationem in Veteri Test. Exponit, v.g. cur peccatum permiserit? Cur toleret peccatores? Cur tam severè homines plectat? Cur consilium & agendi rationem mutare videatur, *&c.* In tertio Christum Dei Filium esse demonstrat, Mundi Creatorem, & Legis auctorem, à prophetis prædictum, & veram assumpsisse carnem, nobis similem factum hominem. In quarto Libro ostendit eumdem esse Deum cùm in Veteri, tùm in novo Test. ἀντιφανείας apparentes conciliat contradictiones, quas citabat Marcion, & omnem indicat Christi vitam prædictam fuisse, & in Veteri Test. delineatam. Christum Prophetas explicasse & confirmasse, Legis perfecisse præcepta. Uno verbo, inquit, sub finem hujus ce Libri, innuit Christum Dei Filium esse, Mundi Creatorem, tùm Prophetarum, tùm ipsius propria doctrina, studiis, virtutibus, sententiis, & denique Resurrectione. In postremo libro, Paulinis probat Epistolis, eundem esse cùm in Veteri, tùm in Novo Test. Deum, & Christum Mundi Creatoris esse Filium. In hoc Libro duo extant difficilia loca super Eucharistia, quæ gravibus argumento fuerunt disceptationibus, quas hìc omittam, Lectorem ad eos qui de illis amplè locuti sunt remittere satis habens, ut ad cætera Tertulliani opera transeam.

Dei Unitate contra Marcionem probata, Personarum Trinitatem contra Praxeam tuetur. Hic Hæreticus ex Asia errorem suum Romam attulerat; ingenio erat natura valdè inquieto, & prætereà falsò se Martyrem gloriabatur, quòd aliquamdiu in vinculis pro Fide fuisset; cùm Victore Pontifice Romam venisset, Papam hunc ne novas Montani agnosceret Prophetias deterruit; effecit etiam, si Tertulliano credimus, ut Communionis litteras revocaret quas Montanistis concesserat. Suam Romæ Hæresim divulgare cœpit, & deinde in Africam se contulit, ubi quosdam sibi contraxit Discipulos; sed à Catholico convictus, (verisimiliter à Tertulliano) & scripto erroris retractationem tradere coactus fuit. Ita aliquando simulatum errorem denuò vulgavit, & Tertullianus qui eum adhuc Catholicus confutaverat, adversus illum scripsit Tractatum postquam in Montanistarum errorem lapsus est. In hoc Libro Verbi distinctionem, & Personarum Divinarum Trinitatem ponit contra Praxeam, qui unam modò in Deo agnoscebat Personam, Patrem à Filio non distinguendo, ac proinde Patrem hominem factum tuebatur, ac pro nobis passum esse. Illi Fidei normam Tertullianus opponit quæ ad unius Dei in tribus Personis Fidem adducit, quæ tres singulæ unius sunt Substantiæ, & ejusdem potentiæ, & Filii Personam fuisse incarnatam, & pro nobis mortuam. Hanc Personarum Trinitatem Dei Unitati non nocere demonstrat, quemadmodum Dei unitas Personarum Trinitati non officit. Filium ex Patris esse Substantia, & Spiritum S. à Patre per Filium procedere. Verbum quod ab omni æternitate erat apud Deum, quodque quasi ex eo ad creandum, & regendum Mundum exiit, Personam esse subsistentem, qui tamen ex varia à Patris Substantia non est, inde non sequi duos esse Deos, & duos Dominos; Filium, non Patrem, factum hominem, nec desiisse Deum esse, adeò ut naturæ humanæ idiomata in Christo inventa fuerint. Uno verbo, perspicuè in hoc Tractatu Ecclesiæ Fidem de Trinitatis, necnon Incarnationis Mysteriis explanat. Verum est quædam esse loca, in quibus ratione quadam sese enuntiat ei quæ in sequentibus Seculis usuvenit non omninò consona. *ii* Sed elocutiones ejusmodi antiquis sunt condonandæ, qui priusquam verba usitata certo cuidam sensui forent affixa, scribebant.

Eum purgare difficilius eſt quòd aſſeruiſſe videtur, tùm in hoc Libro, tùm in aliis ſuorum operum locis, Deum habere corpus, vel potius corporeum eſſe. Atqui nonnulli eum de hoc errore purgant, & hæc adeò vulgaris, & ut ita dicam trivialis eſt quæſtio, ut hìc eam ſilentio prætermittendam eſſe cenſeam.

Alter erat *Hermogenes* Hæreticus Afer, qui æternam docebat eſſe Materiam, nec à Deo creatam Mundum creando, verùm ea ſolùm uſum ad eum creandum. A Stoicorum Philoſophia hunc hauſerat errorem, quem ex more illorum Philoſophorum concatenatis Syllogiſmis tuebatur, unde Tertullianus in Tractatu quem ſcripſit contra illum Philoſophos Hæreticorum nominat Patriarchas. Falſa in eo illius Hæretici detegit Sophiſmata, & noſtram Religionem nos docere oſtendit, à Deo materiam ipſam ex qua Mundum condidit, creatam eſſe.

Liber contra Valentinianos eſt potius Satyra, & jocus, quàm ſeria ineptarum illorum Hæreticorum opinionum confutatio. Primus Sectæ illius auctor Valentinus ab Eccleſia deſciverat, indignatus quod cùm ſe Epiſcopum electum iri ſperaſſet propter ingenium & eloquentiam; poſthabitus eſſet cuidam, qui ſæviente perſecutione pro Fide CHRISTI paſſus erat. Poſtquam ab Eccleſia defecit, commentus eſt, vel veterem renovavit opinionem ex cujus Principiis ſeriem quandam, & Numinum generis cujuſdam generationem fictam ſomniavit. Illius ideis aliquid ſuperaddiderunt ejus Diſcipuli, & ſibi varia finxere Syſthemata. At ut ea omnia figmenta erant inepta & abſurda, ea accuratè abſcondebant, ne ſi ea aperirent, ab omnibus agnoſcerentur inepta; hoc illis exprobrat Tertullianus. ,, Si veritatem, *inquit*, docetis, quid eam non aperitis? docendo perſuadet, & docet perſuadendo, non pudet prodire, contrà pudet modò latere. ,, Nobis noſtram exprobratis ſimplicitatem; verum eſt, eam amamus, quia per eam Deum ,, cognoſcimus, & eum cognoſcendum exhibemus. Sed non mirum quod hanc vituperarent ſimplicitatem Hæretici, & ſua accuratè celarent principia; ita enim erant inepta ut ea detegere ſatis eſſet, ut ludibrio forent: hoc agit in hoc opere Tertullianus. ,, Aggredior, *inquit in hoc Libro*, ob oculos omnium ponere myſterium abſconditum: verùm licèt illorum ,, Hæreticorum opiniones ex profeſſo narrem, ,, nec impugnem, mihi venia danda, ſi nequeam quin alicubi eos carpam. Quod ago ,, ludus eſt duntaxat ante verum certamen. Ictus ,, prius qui in eos infligi poſſunt eis oſtendam, ,, quàm in eos impingam. Quòd ſi occurrant loca, quæ riſum moveant, hoc fit, quòd res ipſæ eum movent. Plura ſunt ridenda, & ita ,, ludenda, ne ea ſeriò impugnando illis aliquid ,, momenti tribuatur. Vanitati nihil juſtius debetur quàm riſus, & propriè veritatis eſt ridere, quia hilaris eſt; & hoſtes ludere, quia ,, certa eſt de Victoria.

En omnia nominatim contra Hæreticos opera: Alia ſunt in quibus errores refellit Tertullianus, & Catholicas tuetur Veritates, quamvis contra aliquem ſpeciatim non ſint ſcripta Hæreticum. Ejuſdem ſunt ſequentia. Liber de CHRISTI Carne, in quo contra Marcionem, Appellem & Valentinum Hæreticos probat, CHRISTUM veram eſſumpſiſſe carnem, noſtræ ſimilem, in utero Virginis.

Sola libri de Carnis Reſurrectione inſcriptione intelligitur, eum contra Sadduceos ſcriptum fuiſſe, & contra Hæreticos Reſurrectionem negâtes.

Scorpiacus, ſic inſcriptus, quia antidotus eſt contra venenum Hæreticorum Scorpionibus ſimilium, contra Gnoſticos cùm martyrii neceſſitatem, tùm præſtantiam tuetur.

Liber de Anima contra Philoſophorum & Hæreticorum, ſententias ſcriptus, de Animæ Natura, ac Qualitatibus prolixè diſſerit. Sed falſis principiis ſcatet, & erroribus. Animam contendit eſſe corpoream, & corporis capere figuram, licet ſit inviſibilis; Platonis de Reminiſcentia confutat ſententiam, & Pythagoræ de Metemphycoſi; Animam è cœlo non venire, verùm unà cum corpore fingi tradit, & ut parentum corpus producit corpus, ſic animam producere animam. Omnes animas, etiam Martyrum, quas nonnulli excipiebant, poſt mortem in locum mitti ſubterraneum, ubi refrigerio gaudent, vel pœnas ſubeunt, juxta bonum, vel malum quod egerunt: eaſque Reſurrectionem, & diem Judicii expectare, quo penitùs beatæ, vel infelices reddentur in æternum. Quædam ſunt etiamnum in eo Tractatu opiniones aliæ ſingulares, ut iſtæ: Animam & flatum idem eſſe; quod in Anima iniquum eſt ex Diabolo derivari; ſuum cuique Animæ Dæmonem eſſe; non omnia vana eſſe Somnia.

Liber de Baptiſmo bifariam diviſus eſt: Pars prior ad Dogma, poſterior ad Diſciplinam attinet. In priori cùm Sacramenti Baptiſmi Neceſſitatem, tùm Efficaciam contra Hæreticos Gajanitas tuetur; Baptiſmalibus aquis nobis noſtra remitti peccata demonſtrat, & pœnas peccatis commeritas. ,, Quid mirabilius, *inquit*, quàm videre ,, corpus lavando externo Baptiſmate lethalem ,, animæ labem eodem tempore deleri, & ablata ,, ſemel labe, nobis quoque remitti pœnam. Deinde de Manuum Impoſitione loquitur, & de Unctione quæ Baptiſmum ſequebantur, ut Spiritus S. in Fideles deſcenderet, & in eos Cœleſtes attraherentur benedictiones. ,, Non recipimus, ,, *inquit*, aqua Spiritus Sancti plenitudinem; ſed ,, ad eam recipiendam præparamur noſtris nos ,, abluendo peccatis. Et ut Joannes paravit vias ,, Domini, ſic Angelus, qui adeſt Baptiſmo Spiritui S. viam parat noſtrorum abſolutione peccatorum, quam Fide impetramus, quæ Patris, ,, Filii, & Spiritus Sancti invocatione confirmatur & obſignatur. Ubi primùm eximus Lavacro ,, ungimur; Et hæc Unctio, quæ fit in carne prodeſt Animæ, ut Baptiſmus externus effectum ,, habet ſpiritualem, nos ſcilicet à noſtris liberare peccatis. Deinde nobis imponuntur manus, ad Spiritum S. in nos attrahendum, & ,, hic Spiritus ſanctiſſimus è Cœlo in corpora ,, purificata & benedicta ultrò deſcendit. In ,, poſteriori parte plures de Baptiſmo agitat ,, quæſtiones ad Diſciplinam ſpectantes. Prima

eſt

est de Baptismo, Joannis, utrùm scilicet è Cœlo esset, aut ex Terra? Eum ait è Cœlo fuisse, quòd è Cœlo constitutus foret, & nihil tamen cœleste dedisse, sed ad cœlestia parasse ad Pœnitentiam impellendo, nec Spiritum Sanctum tradidisse, nec peccatorum remissionem. Secunda est de Necessitate Baptismi, de qua sibi quiddam non contemnendum objicit ex eo petitum quod Apostoli, de quorum salute dubitari nequit, non videantur baptizati. Respondet etsi eos fuisse baptizatos non legatur, fortasse fuisse, & secundò, eorum cum Christo familiaritatem, fidei magnitudinem, Charitatis ardorem eis Baptismi loco esse potuisse, cùm Christus peccatorum remissionem promittat & salutem nonnullis, fide præditis, licet non baptizatis. Non tamen dubitandum, quin Baptismus ad salutem nunc foret necessarius; unius Dei fide olim salvos fieri homines potuisse, nunc verò in Christum credendum esse, & necessarium esse hanc fidem obsignari Baptismo; Ejus Christum tradidisse legem, & modum præscripsisse in hæc verba, *Ite, docete omnes gentes, & baptizate in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Hac Evangelii sententia, *nisi quis aqua regnitus fuerit, & Spiritu S. in Regnum Cœlorum non potest ingredi*, Baptismi Necessitatem invictè poni.

Tertia quæstio est, utrum pluries baptizare quis possit? rotundè asserit unum esse Baptismum, nunquam iterandum; Hæreticorum tamen Baptismum excipit. Qui, inquit, *eum tradere nequeunt, quia non habent. Ideò apud nos extat norma eos rebaptizandi*; Martyrium subjicit secundi Baptismi speciem, qui aquæ Baptismi loco est, cùm eo quis non fuit tinctus, quique eum reparat cùm periit gratia ab eo collata.

Quarta est de Baptismi Ministro; Episcopum docet eum dandi potestatem habere, & post eum Presbyteros, ac Diaconos, cum illius tamen venia, ut honos sit Sacerdotio. In casu Necessitatis á quolibet eum posse administrari, & si gratia denegaretur qua salvari potest, animæ damnationis reum fore qui denegaret; feminis duntaxat ne baptizent absolutè vetare videtur, in quavis circunstantia.

Quinta est de conditione & ætate eorum qui baptizantur. Eum tradit non esse dandum temerè, & quandoque eum aliquandiu differre bonum esse, ut qui eo tinguntur melius parati sint. Hanc vult præsertim observatam disciplinam erga pueros, & quamvis supponat eos posse Baptismo tingi, absque necessitate eos baptizari „ improbat. Quid necesse est, *inquit*, susce„ ptores in discrimen spondendi vocare pro iis „ quos de sacro fonte suscipiunt, cùm morte „ impediri possint quominus stent promissis, quę „ pro pueris præstitere, aut etiam pravo eorum „ decipi ingenio. Christus quidem ait, ne im„ pedite quominus ad me veniant pueri; verùm „ ad eum veniant, ut adolescunt, ut in Religio„ ne erudiuntur, cùm discere possunt quò va„ dant; Christiani fiant, cùm Christum cogno„ scere posse cœperunt. Quid hanc innocentem „ urget ætatem ad recipiendum Baptismum? & „ cùm illis boni temporalis potestas nondum „ concedatur, num æquum est illis bona cœle„ stia credere? Eadem ratione, *inquit etiam*„ *num*, operæpretium est aliquandiu procrasti„ nare cœlibes, ob quasdam tentationes illis „ imminentes donec matrimonio jungantur, aut „ in continentia invaluerint. Demùm, *inquit*, „ hujusce Sacramenti penitùs divini pondus a„ gnoscent, potius verebuntur, ne illud reci„ pere festinent, quàm aliquandiu differre, ut „ dignius illud recipiant.

Sexta est de tempore ad Baptismum administrandum idoneo, ait quovis tempore administrari posse. Verùm ad id solemnes esse dies Paschatis ac Pentecostes.

Tandem ait eos qui sanctè illa aqua immergi cupiunt, jejuniis, vigiliis, precibus, & sincera Pœnitentia ad id sese parare debere.

En quidquid continet hæc pars posterior, in qua duo solùm occurrunt lapsus, quorum prior super Hæreticorum Baptismo cum multis aliis illi communis est: & posterior de Pædobaptismo illi proprius, antiquiorum enim nullus invenietur qui ita locutus sit.

Liber de Pœnitentia primus est eorum qui merè ad Ecclesiasticam Doctrinam spectant. Duo in eo distinguit Pœnitentiæ genera; prior est quæ agitur ante Baptismum: posterior eorum, qui in peccata gravia post Baptismum infeliciter lapsi, ex iis exurgunt operosa pœnitentia. In priori parte necessitatem sese probandi urget, & sese diu parandi ad Baptismi gratiam vera Pœnitentia. Baptismum inanem esse non veretur asserere, cùm aliquem peccatorum suorum non pœnituit, nec vitia emendavit, & vanam esse fiduciam sibi fingere, cùm quis pravè ad Baptismi usque diem vixerit eum repente in virum sanctum evasurum, & à peccato desiturum, ubi primum illud Sacramentum receperit. „ Crediturne, *inquit*, emen„ dationem fieri quo tempore absolvimur? mi„ nimè, fit cum venia adhuc est in ancipiti, & „ adhuc timetur pœna, cùm nondum meretur „ aliquis à peccatis liberari ut id mereri possit. „ Cùm nobis adhuc Deus minatur, non verò „ cùm nobis ignoscit. . . . Remissionem pec„ catorum iis qui Baptismum recipiunt Deum „ concedere fateor, sed laboraverint oportet „ ut dignè ad eum accedant: quis enim hoc Sa„ cramentum cuidam credere auderet, cujus „ ei est omninò suspecta Pœnitentia? falsis ver„ bis Baptismi ministrum fallere potestis, at „ Deus qui novit corda, suos ipse servat thesau„ ros, & nemini nisi dignus fuerit, suam largi„ tur gratiam: Sic nemo sibi fingat liberius pos„ se peccare, quàm cùm adhuc in numero Ca„ techumenorum sit duntaxat, peccatorum re„ missionem in Baptismo recipiet: illud enim Sa„ cramentum Fidei Sigillum est, initium Fidei, „ & indicium Pœnitentiæ; Denique à sordibus „ nostris Baptismo non abluimur, ut modò am„ pliùs non peccemus, verùm quia à peccato „ desiimus, Quia jam corde loti sumus. Tra„ ctatus hujus pars posterior est de Pœniten„ tia post Baptismum, quæ Exomologesis dici„ tur. Testatur illico se ægrè de hac posteriore „ Pęnitentia loqui, quæ postrema spes est iis re„ liqua, quæ criminibus, h. e., peccatis atroci„ bus post Baptismum se adstrinxerunt; ne, *in*-

 „ *quit*,

„ *quit*, de hac nova à peccatis exurgendi ratione „ agendo, à Deo nobis oblata, de novo peccandi viam aperire videar. Atqui Deum ait prævisis hominum infirmitate, & Dæmonis tentationibus voluisse, quamvis remissionis janua foret clausa, & Baptismi gratia in æternum iis negata, quibus Baptismalis perierat innocentia, illis etiamnum superesset refugium, secunda Pœnitentia, at iis tantùm semel concessa. Illius deinde Pœnitentiæ publicæ Exomologesis dictæ operosa depingit exercitia. Exercitium est, *inquit*, ad abjiciendum & affligendum peccatorem; ea pœnitentia homo vitam degit ad Dei exorandam Misericordiam idoneam; ea concilio incubat & cineri, & penitùs corpus negligit; tristitia ejus animus obruitur & dolore; ea modò ad aquam & panem redigitur, & modò quantum opus est ut sustentetur; preces producere adstringitur, & eas jejuniis, ut ita dicam, alere; flet, gemit, lacrymatur, diu noctuque ad Dominum clamat, ad Presbyterorum pedes procumbit, & coram gratiosis apud Deum sese abjicit, singulos demum fratres supplicat ut pro ipso Deum orent, & precibus suis ejus iram placent. Exomologeseos operosis exercitiis ita depictis, ejus demonstrat necessitatem, & eos objurgat quos eam amplecti pudebat criminibus post Baptismum admissis.

Liber de Oratione, partim de Moribus est, partim de Disciplina: in ejus enim priori parte Orationem Dominicam explicat, & in posteriori de quibusdam singularibus agit, ac nonnullis Precum Christianorum Ceremoniis. Principio Christianis præcipit ut cum fratribus in gratiam redeant, animum omni solicitudine & affectu liberent, cor omni peccato purgent, priusquam preces fundant. 2. Christianos ait non affectare manus abluere antequam orent, verùm orando eas vulgò ad Cœlum tollere. 3. Pallium deponere non opus esse ad orandum, neque semper post Orationem sedere. 4. Vultu ad modestiam composito orandum esse, & manus ad cœlum tollendas. 5. Moderata voce, nec altiori quàm satis est ut audiatur. *Verborum enim nostrorum*, inquit, *sonum Deus non audit, verùm cor imum respicit.* 6. Cùm jejunatur privatim, & ob religionem, à Pacis osculo non esse abstinendum, ut solemni jejunio Paschatis tempore. 7. Stationum diebus, h. e. iis quibus non pauci fideles in precibus stabant, & ad tertiam usque pomeridianam jejunabant, non abstinendum Precibus communibus, quasi necesse foret rumpere jejunium, ubi primum receptum est Christi Corpus. „ Statio vestra, *inquit*, solemnior erit. Sumite Corpus Domini, & servate, sicque Sacrificii participes eritis & pietatis officio fungemini.

In Libro de Idololatria non modò Idolis sacra faciendo Idololatriæ crimen committi demonstrat, sed & multis aliis rationibus, quas satis curiosè exquirit. Opifices omnes qui simulacra fictitios Deos referentia fabricantur, Astrologos qui Ethnicorum Deos laudant; Mercatores qui merces ad Templa adornanda, & sacra Diis facienda subministrant, Idololatriæ reos esse contendit. Christianis asserit non licitum esse diebus festa celebrare quos in Deorum suorum honorem Ethnici sacros faciunt, nec lucernis ædes ornare, & lauris in honorem Principum, & Magistratuum: Illis quidem licere cognatorum interesse nuptiis, licet in iis Sacra fiant, at ut debito fungantur officio propter affinitatem. Itidem servis licere suos ad Sacrificia comitari Dominos, & Christianis debitum Imperatoribus Ethnicis honorem deferre. Verùm illis non licere muneribus fungi, nec arma sumere, sin minus possint absque quod Idololatriæ faveant. Denique Idololatriæ immunes non habet eos qui Dei nomen falsis Ethnicorum Numinibus tribuunt, qui jurant per nomen eorum, sive ex more, sive secus. Id omne hoc verissimo nititur fundamento, eos omnes qui pravis in vita favent, aut aliquo modo aliquid malo conferunt, fontes esse, at id Tertullianus in quibusdam plus satis videtur extendere, & nimis perfractè res capere quæ excusari possunt, ut v. g., arma sumere ad defendendum Imperium; Lucernis ædes ornare, & Lauris in honorem Principum, locutiones usitatas usurpare, quamvis ad Idololatriam aliquatenus referantur.

Eadem mente in Libro de Corona, militis factum tuens, qui Coronam capiti suo imponere renuerat, corona caput redimire, & etiam arma sumere Christianis absolutè prohibitum esse contendit. In hoc Libro consuetudinem & traditionem, non mediocriter extollit, & plura profert de Ceremoniis exempla notatu digna, quæ ex Traditione recepta esse contendit. „ Ut initium fiat, à Baptismo, inquit, cum parati sumus ad ingrediendum in aquam, vel etiam antè coram episcopo & in Ecclesia profitemur, nos Diabolum, ejus fastus, & ministros ejurare, deinde ter in aqua immergimur, & respondere jubemur ea quæ disertè non leguntur in Evangelio: Posteà gustandum nobis præbetur lac & mel, & quotidie lavamur per eam hebdomadam; Eucharistiæ Sacramentum recipimus à Christo institutum eo tempore quo manducamus, & in matutinis Conventibus, & à manibus eorum qui iis præsunt tantum accipimus. Quotannis pro mortuis in honorem Martyrum oblationes offerimus. Die Dominica jejunare, & flexis genibus orare vetitum existimamus. A Paschate ad Pentecosten usque eodem gaudeamus privilegio. Ne quid è Calice, aut Pane consecrato excidat nobis est magna cautio. Singulis momentis, & occasionibus Crucis Signo nos signamus; Si legem illius usus è Scriptura sumptam petitis, nulla occurrit. Verùm Traditione eum constitutum esse vobis respondebitur, consuetudinis auctoritate firmatum, & Fide observatum.

Liber de Fuga Persecutionis Tertulliani ingenii valdè præfracti etiamnum signum est, Persecutionis tempore fugere absolutè vetitum esse tuetur, aut dare pecuniam ne fiat vexatio.

Liber de Pallio, breve scriptum est, in quo demonstrare conatur meritò se togam deposuisse, ut pallium indueret. Plurimi ingenii & eruditionis opus est, & illud potius scripsisse videtur, ut ostenderet quid in tam levi argumento posset

ſet eloqui, quàm ut seriò factum ſuum defenderet.

In Libro de Spectaculis, Christianos à ſpectaculis avocat, quàm inverecunda ſint hujuſmodi oblectamenta demonstrans, & iis infeſta qui faſtus mundi, voluptates, ac Idololatriam ejurarunt.

Librorum de cultu & habitu muliebri argumentum proferre non opus eſt. Inſcriptione ſatis patet in quam libidinem ſcripti fuerint. Item Libri de velandis Virginibus titulo notum eſt argumentum; at id de Virginibus Deo conſecratis non modò venit intelligendum, in eo enim opere Tertulliano animus eſt probare velandas eſſe Virgines, h. e. vultu velato eſſe in Eccleſia, quod contra Patriæ ſuæ morem demonſtrandum ſuſcipit, in qua ſolæ nuptæ velabantur. Idcirco contra morem loquitur, & eum contra veritatem præſcribere non poſſe contendit: quod verum eſt cùm agitur de Dogmate, non verò cùm de Diſciplina parvi momenti.

In priori ad uxorem Libro, eam hortatur ne iterum nubat, & in poſteriori præcipit ei ſi rurſus velit nubere, ut Chriſtiano nubat.

Tractatus de Patientia, eximia ad hanc virtutem hortatio eſt. Multa cum eloquentia in eo Tertullianus nullam non affert cauſam, & rationem qua Chriſtiani ad Patientiam excitari poſſunt, & ab impatientia deterreri.

Sermo ad Confeſſores, quos vocat Martyres ex priſco more loquendi, acris eſt etiam ad eos exhortatio, qui Chriſti Religionis ergò in vinculis erant, ad eis addendum animum ad ferenda patienter vincula, & ſupplicia, & conſtanti animo ad finem uſque perſeverandum. Nihil hoc brevi ſermone vehementius, aut movendis animis aptius.

Una ſuperſunt Tertulliani opera contra Eccleſiam ſcripta pro Montaniſtis, quatuor numero, Liber de Pudicitia, Monogamia, Exhortatione ad Caſtitatem, & Tractatus de Jejuniis. In libro de Pudicitia, contra Eccleſiam probare conatur, ei non eſſe poteſtatem fornicatorum & adulterorum peccata remittendi, & cùm homines in ea crimina poſt Baptiſmum ſapſi ſunt, amplius eos non poſſe ad Eccleſiæ Communionem admitti, quamlibet agant pœnitentiam. In Libro de Monogamia, & ad Caſtitatem exhortatione, ſecundas abſolutè damnat nuptias ut adulterium. Denique in Libro de Jejuniis, immoderata laudat Montaniſtarum Jejunia, qui plures ſervabant ut ex præcepto, ad veſperam uſque producebant; pane ſolo per Jejunia veſcebantur, & fructibus, & aqua mera potabantur. In his omnibus Libris, ſi unum de exhortatione ad Caſtitatem exceperis, disertè Eccleſiam impugnat, & Catholicos, quos vocat Pſychicos, & nuſquam non de Montano, & ejus vatibus honorificè loquitur, credens eos S. Spiritu afflatos eſſe ad perfectiorem conſtituendam Diſciplinam. Nam quoad Fidei normam, h. e. præcipua Religionis dogmata, Tertulliano & primis Montaniſtis cum Eccleſia conveniebat; ideò in Libro contra Praxeam, Tertullianus ait ſe ſemper crediđiſſe unum Deum Perſonis trinum, idque firmius etiamnum credere ex quo à Paraclito edoctus eſt: & in Libro ad probandum velandas eſſe Virgines ſcripto, ait excepta Fidei norma immutabili, mores reformari & mutari poſſe. Id a Paraclito Montani miniſterio præſtitum fuiſſe, qui hominus Diſciplinam docuerat multò perfectiorem ea quam ab Apoſtolis acceperant, juſtitiam in cunabulis fuiſſe, eo tempore quod vulgò naturæ dicitur: Legem & Prophetas ut ejus infantiam fuiſſe, Evangelium ut adoleſcentiam, at perfectionem occurriſſe tantùm in Spiritus Sancti inſtitutionibus qui per Montanum locutus erat: Tertullianus enim nec primi Montaniſtæ credebant Montanum eſſe Spiritum Sanctum, Sed ſolùm à Spiritu Sancto afflatum fuiſſe, & miſſum qui Diſciplinam Eccleſiæ reformaret & perficeret: Ne modò id prærogativæ Montano tribuebant, ſed & pluribus ejus Diſcipulis, & potiſſimùm feminis, nec paucos inter ipſos occurrere ſuadebant, qui revelationibus gauderent & futura prænuntiarent. Hi vehementer aliquando agitabantur, interdum in extaſim rapiebantur. In hac Secta quidquid ab illis proferebatur, cum reverentia audiebatur, aut in afflatu, aut cùm ad ſeſe redierant, & totidem habebantur revelationes, de quibus dubitare non licebat, cúm volebant illis in conventibus loquendi copiam dabant, illis plus poteſtatis & auctoritatis eſſe quàm Presbyteris & Epiſcopis exiſtimabant. Inde eſt quod inordinati & incompoſiti eſsent eorum conventus. De cætero valdè auſtera utebantur Diſciplina, communione interdicebant in æternum eos qui poſt Baptiſmum, non modò homicidia commiſerant, aut Idolis adoleverant, ſed & eos qui in fornicationem, aut adulterium inciderant. Nova imponebant jejunia, & auſterrimè ea obſervabant, fructu ſolo & pane veſcendo. Secundas damnabant nuptias; & Perſecutionis tempore fugere vetitum eſſe credebant. Ubi primùm hæc orta eſt Secta, non paucos fefellit Chriſtianos ſpecioſa quadam perfectione & Sanctitate. Hinc enim eorum vitę auſteritas pondus & fidem addebat eorum revelationibus ad eorum Diſciplinam amplectendam inducebantur. Pii non pauci illicò decepti ſunt, & brevi Phrygiæ primùm Eccleſia, & cæteræ deinde ſuper novis iſtis Prophetis diffidere viſæ ſunt. Pontifex ipſe deceptus fuit, & Communionis litteras illis tradidit, quas ſtatim revocavit errore cognito. Eccleſiæ Gallicanæ Chriſtiani cautius egerunt qui Victori Pontifici ſcripſerunt, necnon Aſianis Eccleſiis, ſuper his novis Prophetiis, ſapientiſſimo de iis, & fidei conſono admodum lato judicio, inquit Euſebius: quid ſcripſerint præcisè latet: verùm veriſimile eſt eos novas iſtas improbaſse revelationes, optando tamen ut benignè cum iis ageretur, qui illis decepti fuerant, ut eos in Eccleſiæ gremium revocarent. Poſtremò Aſiani Epiſcopi cùm non ſemel ad iſtas novas Prophetias excutiendas conveniſſent, perſpecto quantùm referret non pari ut latius ſpargerentur, eas damnarunt; & ſacris interdixerunt tùm earum auctores, tùm illos qui eas ſequebantur. En quid neceſse eſſe duxerim de Montaniſtarum Secta diſserere, & de ejus ſtatu Tertulliani tempore. Nunc ad iſtum Auctorem redeamus, & de ejus ingenio, ſtylo, & exiſtimatione loquamur.

Tertulliani Vita.

Acris & acuti erat ingenii, at non satis accurati & recti. Plus splendoris sæpè ejus inest ratiociniis quam solidi. Afficit, perstringit potius novis & inusitatis elocutionibus, quàm vi rationum convincit. Res affectatæ sunt, & interdùm aliquantò inflatæ. Lepore quidem grandi at parùm genuino eas exprimit. Præter modum sæpè loquitur: In omnibus ferè effervescit & effertur: figuris & hyperbolis scatet. Multa scientia & eruditione repletus erat, qua apposité admodùm utebatur. In Satyra excellebat: Eius urbani sales, & mordaces erant. Adversarios dextrè impugnabat, & eos rationum inter se cohærentium multitudine obruebat. Denique ni ratiociniis persuadet, consensum saltem extorquet splendida ratione dicendi. Ejus oratio Laconica, dictiones validæ, & in ejus scriptis totidem verba totidem ferè sententiæ. Non immeritò tamen in iis tria carpit Lactantius vitia non contemnenda. „ Tertullianus, inquit, plurima erat litteratura, verùm *in loquendo parum facilis, parum comptus, & multum obscurus*. Tria hæc quidem styli vitia apud plerosque Auctores Africanos occurrunt. Verùm summo gradu apud Tertullianum, & nullius Scriptoris stylus illius Auctoris stylo durior est, minùs comptus, & obscurior. Singula ejus opera iis laborant vitiis, alia plus, alia minus. Clarior, & liquidior est sed minus elegans in Libris Polemicis, obscurior, & durior in locis communibus, ut in Libro de Pallio, quod unum est ex Antiquitatis operibus obscurissimis. Liber de Pœnitentia omnium est elegantissimus. Ejus Opera pulcherrima, & utilissima sunt Apologeticus, Præscriptionis, Libri de Pœnitentia, Baptismo, Oratione, & hortationes ad Patientiam, & Martyrium.

Ex supradictis non est difficile judicare quis fuerit Tertulliani character. Verùm æquè non est facile asserere, utrum laude, quàm vituperio sit dignior; nam primò si de eo judicatur prout Ecclesiæ inservit, difficile dictu est, an ei magis nocuerit, quàm profuerit. Inde enim ejus Doctrinam contra plures Hæreticos fortiter propugnavit, in quibusdam operibus capita non levia ejus Disciplinæ tuitus est, & denique mores pulchrè passim docuit: at hinc præterquam quòd semper multis infectus fuit erroribus, Ecclesiæ Disciplinam disertè impugnavit, postquam ab ea descivit. Si deinde de eo judicatur ejus ingenio, tanto pollet & bono & malo, ut quod prævaleat difficile dictu sit. Tandem si ejus stylo, nescitur an laudandus grandiloquio & stupendo, aut vitiis vituperandus. Ita sententiis semper dissidenrunt, & etiamnum non mediocriter viri variant in judiciis quæ de hoc Auctore ferunt: quo ad credendum inducor in eo quod bonum est laudare latius esse, & quod malum fuit vituperare quàm de eo absolutum ferre judicium, quod nunquam non mille disceptationibus esset obnoxium.

Demùm ut aliquid de Editionibus Tertulliani disseramus, nullus fermè auctor pluries fuit editus, & nullus est cui plures operam navarint. Idque duabus de causis, manuscriptorum corruptione, & ejus obscuritate, & hæ sunt sibi mutuò causæ: Ejus enim obscuritas Librariis, qui eum non intelligebant, occasionem præbuit verba mutandi, ut illi sensum suo modo affingerent: & his Librariorum corruptionibus, is etiamnum obscurior factus est, nedum dilucidatus: hinc est quòd eos omnes hic Auctor exercuerit qui eum in lucem ediderunt.

Rhenanus Tertulliani opera primus in lucem emisit, & ea primò Basileæ edenda curavit, an. 1521. duobus Manuscriptis, quæ illi tradita fuerant ex duabus Germaniæ Abbatiis, & secundò an. 1528. Non parvi duco tùm argumenta, tùm Notas, quas vir ille in litteris & in Antiquitate Ecclesiastica eruditissimus Tertulliani plerisque præmisit Operibus, & ad illum intelligendum Auctorem eo utilius insudasse mihi videtur; & à Rigaltio sapientissimè observatum esse, Rhenano nihil ad opus perficiendum defuisse, præter Manuscriptorum penuriam. Ejus tamen animadversionis censoria Inquisitionis Hispanæ virgula notatæ fuerunt, & Romæ Librorum prohibitorum Indici inscriptæ, propter aliquas paulo liberiores notas super pravis quibusdam usibus illius tempore vulgaribus: verùm tamen hinc nihil de illius existimatione decedere debet. Tertulliani reperiuntur editi Basileæ an. 1525. 1536. 1539. at verisimile est eos ex primis editionibus esse, in quibus annus modò mutatus est. Tertia Rhenani editio est optima Basileæ in folio, ann. 1550. In ea editione quidam Tractatus occurrunt Anglo Manuscripto à Gelenio emendati. Quarta item Basileæ an. 2562. Quinta Parisiis apud Guillardum an. 1545. Sexta litteris pulcherrima an. 1566. Parisiis duobus Voluminibus in octavo, apud Volchelum, & Audœnum Parvum Tertullianum edidit cum novis Commentariis. Ejus prima Editio est an. 1579. Antuerpiæ. Hanc secuta est alia an. 1583. Parisiis apud Sonnium, postea etiamnum Antuerpiæ à Plantino an. 1584. Heidelbergæ apud Commelinum an. 1595. & 1599. Coloniæ Agrippinæ an. 1617. Genevæ an. 1597. 1601. 1607. Tigurii à Belleyio an. 1657. Parisis ann. 1608. 1616. 1634. 1658. 1664. & Rhotomagi ann. 1662. Illius auctoris Commentarii utiles sunt & docti, verùm ab argumento longius recedit, & ea sæpè refert quæ ad Auctoris sui intelligentiam nihil faciunt. Opera Tertulliani præterea ex editione Pameliana cum Notis Junii edita sunt Frankeni an. 1597. 1627. Novem Tertulliani tractatus emendatiores Parisiis in octavo edendos curavit Rigaltius, Manuscripto ab Agobardo tradito, qui nono vivebat seculo, Ecclesiæ Lugdunensi, cujus erat Episcopus Manuscripti Montchali discriminibus recognito. An. 1584. Latinus Latinius plura conjecit ad loca Tertulliani restituenda, quæ contendebat esse corrupta. Pancirolius item in Tertulliano operam posuerat, at nihil in lucem edidit. Variæ Manuscriptorum lectiones non paucæ à Fulvio Ursino collectæ fueruut, quas Tertulliani Pameliani, quo Rigaltius usus est, adscripsit margini. Joannes VVoerus quibusdam etiam annotationibus Tertullianum illustraverat æquè ac Laubespinus, qui in loca nonnulla notas scripsit de Disciplina, & Pœnitentia. Pithoeus, Junius,

Junius, Salmasius, Richerius, Theodorus Marsilius, & alii nonnulli annotationes scripserunt in Librum de Pallio, seorsim Parisiis editum an. 1576 & 1594. cum Notis Junii an. 1600. cum Notis Salmasii an. *1625.* Jacobus Godefredus in lucem edidit, Agobardi Manuscripto utrumque Librum ad Gentes, qui nondum vulgatus fuerat; Genevæ fuit editus à Chouet cum docti illius Jurisconsulti Commentariis.

Continuum in singula Tertulliani opera Commentarium suscepit Jesuita Lacerda, ijs omnibus amplior qui eò usque scripti fuerant: illud opus orsus est, & duo Volumina Parisiis edenda curavit an. *1624. 1630.* & *1641.* At illi operi ultimam manum non admovit, & Commentarios tantùm in aliquam Librorum Tertulliani partem composuit, & præterea prolixus est ejus Commentarius & tædium parit, quia quædam explanat, quæ nulla luce indigent, & sæpe à proposito longè aberrat.

Demùm doctus Rigaltius operibus Tertulliani Agobardi Manuscripto recognitis & variis usus lectionibus ab Ursino, Pithoeo, & Junio collectis, Tertulliani contextum innumeris locis emendatum tradidit, cui notulas adjecit, ad expendendum utra ex duabus lectionibus sit verior, ad rejiciendas, aut confirmandas quasdam conjecturas, & verba difficilia & inusitata enodanda; & ad calcem prolixiores subjecit annotationes ad loca difficilia explicanda, aut aliquos usus antiquos illustrandos, aut denique ad aperiendum aliquod eruditionis caput expeditu difficilius. „ Quod si, *inquit*, quędam occurrant aliquantò liberiores sententiæ, ut de criminum occultorum confessione, Jesu vultu (quem valde turpem putat, Tertulliani luminis testimonio, & quorumdam aliorum Veterum) & cereis qui luce palam in Ecclesiis accenduntur, existimandum est ea me tantùm protulisse ad Tertulliani sententiam explanandam, non verò ad Ecclesiæ Catholicæ Doctrinam arguendam, aut improbandas Patrum sententias, qui vixerunt post illius tempora. Quibus verbis excusat Rigaltius liberiores opiniones quas in annotationibus suis aliquoties inseruit cùm in Cyprianum, tùm in Tertullianum, verùm nescio utrum eo satis factum fuerit omnibus, fatendum est enim, quædam esse loca, in quibus satis testatur se ex sua, potius quàm auctoris mente loqui, & in quibus etiam aberrat à re, ut annotationes scribat, aliquando hodierno Ecclesiæ usui parùm consentaneas: at si est cur ejus Theologicarum annotationum nonnullæ carpantur, fatendum est etiam ejus de Critice, Grammatica, & locorum difficilium explicatione notas ac observationes eximias esse. Nihilominus tamen illi exprobratur quod conjecturis fuerit audacior, nec satis accuratus ad auctorem suum antiquis Manuscriptis recognoscendum, & tandem suas, aut aliorum contextui conjecturas inseruerit nulla Manuscriptorum nixus auctoritate.

Bibliopola qui Rigaltii Tertullianum edidit an. *1634.* separato Volumine notas edidit, & Commentarios eorum qui in Tertulliano unà cum Rigaltio posuerant operam, ut ederetur quidquid in eum auctorem scriptum fuerat, exceptis Lacerdæ Commentariis. Illud Volumen Tertulliani Rigaltii an. *1634.* editioni junctum, de novo etiam an. *1641.* editæ illius Auctoris editio perfectissima est.

Exinde alia edita est an. *1664.* non sic ampla, at commodior, cujus margini adscriptæ sunt annotationes, & observationes integræ Rigaltii, cum Rhenani notis selectis, Pamelli, Laubespini, Lacerdæ, Salmasii, &c. unà cum Merceri emendationibus. D. Prior cui hæc curæ fuit editio, Præfationem præmisit quam inscrisit, *Dissertatio de vita & erroribus Tertulliani*; quod opus non est valdè perfectum, neque illius Auctoris annotationes, quę ab omnibus Doctis pluris non sunt habitæ.

Mitto editionem Tertulliani à P. Georgio traditam, quam edendam curavit Parisiis an. *1648.* & 1650. tribus magnis Voluminibus quæ inscripsit, *Tertullianus suscitatus*, quoniam in ea editione nihil occurrit quod sit animadversione dignum, & prolixi & molesti sunt illius auctoris Commentarii, nec ignaris prodesse, nec Doctis probari possunt.

Novus ederetur Tertullianus optandum esset, cujus verba potioribus Manuscriptis omninò congruerent, nec in ijs miscerentur Privatorum conjecturæ. Annotationes selectæ utilissimæ, ex omnibus depromptæ Commentatoribus, ei addendæ forent, & demùm non juxta temporum, sed rerum ordinem disponenda essent opera, ut factum est in eorumdem operum tradenda epitome, & Tertulliani vita esset præmittenda, & ejus operum critice, huic similis quę hic Gallicè scripta est, verùm accuratior etiamnum, & amplior.

---

a *Tertullianus,*) Ei nomen erat Q. Septimius Florens Tertullianus, quo distinguitur à Tertullo Consule, & Tertulliano Martyre.

b *Et ex urbe Carthagine.*) Id ipse testatur l. *de Pallio* c. 2. & in Apologetico c. *9. teste*, inquit, *Patriæ militia*, de militia Carthaginis Proconsulari verba faciens. Id ab Hieronymo confirmatur in Chronicis, & Libro de Auctoribus Ecclesiasticis.

c *Centurio fuerat ejus Pater Militiæ quæ sub Africæ Proconsule merebat, munus non valdè splendidum.*) Scripsisse videtur Eusebius Tertull. fuisse Romanum & nobilem Hist. l. 2. c. 2. Quod tradit Tertulianum Roman. Legum fuisse peritum, quosdam ad credendum induxit, eum Auctorem fuisse Jurisconsultum; & re vera quidam est Jurisconsultus ejusdem nominis; ac constat alium esse à nostro Tertulliano, nec tradit Eusebius fuisse Jurisconsultum, sed legum Romanarum peritum. Quod de ejus Patria & Nobilitate subjicit Eusebius defendi nequit, ni de Romanis Scriptoribus capiatur: & sensus sit Tertullianum unum fuisse ex clarissimis Latinis Auctoribus. Ruffinus hoc sensu hunc Eusebii locum accepit vertendo, *inter nostros Scriptores admodùm clarus.* Scribit Pamelius Advocatum fuisse Tertullianum, at id non rectè probat, cùm id Trithemi auctoris recentioris auctoritate duntaxat affirmet.

d *Quin Ethnicus fuerit non dubitatur.*) Tradit ipse

in Apologetico Ethnicos alloquens. *Vestrum etiam fuimus; Christiani non nascuntur homines, sed fiunt*. Et Lib. de Spectaculis, & Carnis Resurrectione c. 19. & 59. ait se Spectaculis adfuisse, & vitæ partem in libidine consumpsisse.

e *Verùm quo tempore, aut qua occasione in Ecclesiam intraverit latet.*) A Pamelio traditum est eum Oraculi responso ad Fidem fuisse conversum: à Georgio Ambianensi, Visione; utrumque fabulæ.

f *Antonino Caracalla.*) Eum sub istis Imperatoribus floruisse testis est Hieronymus, idque ejus scriptis liquet; nonnulli tradiderunt eum ad annum 160. floruisse, sed errarunt.

g *Ad summam senectutem.*) Hieron. l. de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Usque ad decrepitam ætatem vixisse fertur.*

h *Post Baptismum modò uxorem duxisse.*) Christiana erat ejus uxor; nullibi tradit eam ad fidem fuisse conversam, neque se ab ea conversum: Verisimilius igitur est eam duxisse postquam Christianus factus est. Ethnicus enim Christianam duxisse non videtur: Et si cum eo ad Fidem conversa, aut ipse ab ea conversus esset, de eo nonnihil in suis ad eam Libris attigisset.

i *Jam ætate provectum.*) Isti Libri ad formam Testamenti scripti sunt; In priori uxorem ad continentiam, post ipsius mortem servandam hortatur; non ergo eo vivente eam servabat: In posteriori liquidò tradit, continentiam in viduitate servare conandum esse quam in Matrimonio servare nequeunt: quo patet Pamelii opinionem in fumum abire. Isti Libri supremis Tertulliani diebus scripti sunt, ut probatur. 1. Ratione qua scripti sunt ad instar scilicet Testamenti. 2. Quoniam vir non cogitat uxori scribere quid ei post ipsius obitum sit agendum nisi cùm ætate provectus est. 3. Quia licet Tertullianus nondum esset nominò Montanista cùm hunc scripsit Librum, eò tamen multùm vergebat.

K *In illius scriptis nullus est locus, ex quo concludi possit eum in Ecclesia Catholica fuisse Presbyterum.*) Locus extat l. de Anima c. 9. ex quo concludi potest eum in Ecclesia Montanistarum prædicasse, & ei relatas esse aliorum visiones. Verùm cùm Montanistæ singuli sic in Cœtibus suis loquerentur, inde certò concludi nequit eum fuisse Presbyterum, id Hieronymi tantùm persuadet auctoritas.

l *Hieronymus id ita asserit.*) Tractatu de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Cùm usque ad mediam ætatem Presbyter Ecclesiæ permansisset, ad Montani dogma delapsus est.*

m *Ecclesiæ Romanæ Presbyter vulgò creditur.*) Quo fides fit eum fuisse Presbyterum Romanum, illud est quod tradit Hieronymus, eum ad Montani dogma delapsum esse, invidia, necnon Ecclesiæ Romanæ Clericorum injuriis succensum. Sed idcircò non necesse est eum Romæ fuisse, cùm sat communionis ac commercii interesset inter illam utrumque Ecclesiam, ut Romæ notum esset quid diceretur & gereretur Carthagine, & etiamsi tunc temporis Romæ fuisset, non ideo sequitur eum fuisse illius Ecclesiæ Presbyterum: à Priscorum nemine traditur; contra Pænum eum vocat Optatus, ut Zephirinum nominat Urbicum, h.e. Romæ Episcopum, & Victorinum Petaviensem. A Sirmondi Prædestinato liquidò dicitur Carthaginensis Presbyter.

n *Tertio ineunte Ecclesiæ Seculo.*) Illius defectionis certa est Epocha, nam definiri potest, quoniam tradit ipse Libro contra Praxeam, eum Hæreticum Romam profectum obstitisse ne ab Ecclesiæ illius Episcopo Montani agnoscerentur Prophetiæ, contra illum eo tempore ipsum scripsisse, & ad mutandam sententiam adduxisse, eum exinde Paraclitum agnovisse. Is autem Episcopus à quo Montani explosæ sunt Prophetiæ, verissimiliter Victor est. Tradit enim Tertullianus obstitisse Praxeam ne novis consentiret Prophetiis, ei ob oculos ponendo ejus Prædecessorum auctoritatem, qui nequeunt esse alii à Pontificibus Aniceto, & Eleuthero, sub quibus novæ Montani Prophetiæ oriri cœperunt. Itaque Tertullianus defecisse nequit, nisi post Victorem Pontificem, qui fuit Papa ab anno 193. usque ad annum 201. Contra Marcionem Libros Montanista composuit, an. Christi 207. scriptos. Itaque Pamelius errat qui ejus defectionem ponit an. 210.

o *Varias attulere rationes.*) Prioris sententiæ Baronius auctor est ad annum 201. nu. 9. Posterioris Pamelius in vita Tertulliani. Sunt qui alia de ejus defectione narrarunt, quæ nullam habent vel verisimilitudinis umbram.

p *Liber Apologeticus ad annum 200. Christi Nativitatis scriptus est.*) Eo tempore scriptus videtur. Eum an. 211. tantummodò scriptum esse contendit Dalixius: sed ejus rationes sunt futiles. Ad Librum de Præscriptionibus c. 47. affirmat eum respicere: verùm licet ibi loci præscribendi verbo utatur, non sequitur hunc post Librum de Præscriptionibus scriptum fuisse. Secunda ratio ex defectu Uticæ an. 210. conspecto petita est, ad quem, inquit, alluditur c. 20. At ibi loci de singulari quodam defectu nulla mentio. Præcipua & ultima Dalixii ratio est, quòd c. 4. Apologet. de Severo loquatur quasi mortuo. *Severus*, inquit. *Princeps constantissimus, nonne nuper Legem Papiam auctoritate sua antiquavit, qua sancitur procreari liberos, antequam per Legem Juliam uxorem ducere sit licitum?* At id de Severo adhuc vivente dici potuit, & verisimile est ab eo eam fuisse abrogatam (si tamen antiquavit potius enim eam abrogavit Constantinus) ineunte Imperio. Quod legitur c. 5. *Quinam Leges sanxere contra Christianos? non Adrianus, nec Vespasianus, nec Antoninus, nec Severus*, probaret eum scripsisse post Severum mortuum, sed legendum, Verus, ut in postremis editionibus, non Severus.

q *Verisimilius est eum fuisse in Africa compositum*) Pamelius & plures alii tuentur ab eo Romæ scriptum Apologeticum, & ad Senatum. Verùm nullo illius Libri loco nititur hæc conjectura. Contrà hic Liber ad Præfectos urbium scriptus est. In eo Romæ & Romanorum meminit Tertullianus, ut ab urbe eorum absens, nec cum illis. cap. 21. 24. & 35. & 45. de Proconsule loquitur, & Romæ nullus erat. Eum ad Senatum non scriptum, sed Provinciarum Præfectos, Apologetici initio patet. *Si non licet vobis, Romani Imperii Antistites, in aperto, & in ipso vertice civitatis præsidentibus ad judicandum palàm dispicere, & coram examinare quid sit liquidùm causa Christianorum, si ad hanc solam speciem auctoritas vestra de justitiæ diligentia in publico aut timet, aut erubescit inquirere. Si denique domesticis indiciis nimis onerata Sectæ hujus infestatio obruit viam defensioni, &c.* Quos appellat *Imperii Antistites*, Præfecti sunt & Proconsules, id sequentibus liquet, ait enim eos præsidere *in vertice civitatis*, quo Roma non designatur, quæ semper Urbi dicitur, & quod subjungit eorum esse examinare quid sit causa Christianorum, eos judicare, & adversus eos accusationes audire, lucidè innuit, eum de Præfectis verba facere. 2. De Senatu in eo Libro nulla mentio. 3. De Proconsule loquitur, ut summo Magistratu c. 45. Denique constanter vocat *Præsides*, eos ad quos hoc scribit opus, qui titulus propriè Provinciarum Præfectis competit.

r *De Spectaculis & Idololatria Tractatus.*) Lib. de Idololatria c. 5. ad gaudium Getæ nativitatis alludit; Lib. de Spectaculis c. 7. de Roma loquitur, ut ab ea absens; itaque is Liber Romæ, ut creditur non est compositus.

s *De cultu & de habitu muliebri Libros.*

t *De Animæ testimonio Libri certa non est Epocha*) Post Apologeticum scriptus est, ut c. 5. concludi potest.

u *Primi ex his postremis operibus sunt Libri adversus Marcionem*) Luce clarius est eum fuisse Montanistam, quando contra Marcionem Libros composuit, id patet l. 1. c. 28. l. 3. c. 24. l. 4. c. 22. & l. 5. c. 15. l. 4. c. 22. Catholicos vocat Psychicos.

x *De Præscriptionibus Librum promittit*) Lib. 1. c. 1. *Alius libellus hunc gradum sustinebit adversus Hæreticos, etiam sine tractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sit de Præscriptione novitatis.* Jam compositus dici potest, & ab eo solùm in lucem editus, quo fulciret Libros contra Marcionem. Quod ad credendum induxit hunc à Tertulliano adhuc Orthodoxo Librum scriptum fuisse, illud est quod contra Novitates in gratiam Ecclesiæ tradit. Verum iisdem utitur Principiis in Libris contra Marcionem, & contra Praxeam. Hæreticorum Catalogus, in quo Montanistas numerat inter Hæreticos, non est Tertulliani. Itaque ea ratio quæ fidem facere po-

potuit ab eo adhuc Catholico Præscriptiones editas esse nullius est ponderis.

y *Liber inscriptus Scorpiacus*) Scorpiacus post Libros contra Marcionem scriptus est, ut patet c. 5.

z *Liber de Corona*) Largitionis causa Imperatorum Antonini & Severi erga milites ad annum 229. scriptus est.

aa *Et de Pallio*) Hoc illius primum opus esse contendit Scaligerus; Salmasius contrà tradit, ab eo solùm scriptum cùm factus est Presbyter. Ab illo creditur Pallium omnium Christianorum vestimentum. Hic verò contendit Presbyterorum vestem fuisse. Uterque fallitur, nam Christiani vestibus longis vel curuis indiscriminatim ex more locorum induebantur. Philosophorum vestis, & eorum qui austerius vivebant, erat Pallium. Quod l. de Pallio c. 2. habetur triplici Imperii virtute penitùs exclusos Barbaros, & Populi pacem & tranquillitatem procuratam, de fine Imperii Severi tantùm capi potest, qui profundissima pace fruebatur, omnibus cæsis hostibus, & ambobus filiis Antonino & Geta Imperii cooptatis sociis, quod à Tertulliano dicitur, *triplex Imperii virtus*, ut cùm ait, Barbari exclusi, ad murum respicit quem in Anglia Severus extrui jussit, ut Barbarorum incursiones coerceret.

bb *Quod de Imperio Romano habetur c. 7:*) Ibi loci florens depingit Imperium, Germanos exclusos, clausos Anglos. Mauros Romanis Legionibus obsessos, &c. Quod Imperii Severi tempori congruit. Id dici nequit nisi de fine Imperii Severi, qui cunctis domitis Barbaris murum extrui jussit de quo jamjam à nobis dictum est, & Romanas sparsit Legiones ad Imperii limites, ut à Dione observatur.

cc *Librorum contra Praxeam tempus incertum*) Liquidò constat Librum contra Praxeam scriptum esse ex quo fuit Montanista *suprà*. In Libro contra Hermogenem illum accusat Hæreticum quòd fingat se uxorem ducere, & quæ Montanistarum ingenium redolent exprobrationes. Et in Libro contra Valentinianos Proculum, vel Proculum laudat, Montanistam celebrem. Hic Liber scriptus est post Tractatum contra Hermogenem, in hoc enim advertit se contra illum Hæreticum scripsisse.

dd *Ad annum 213.*) Severus, inquit, Antonini Pater aliquatenùs Christianorum rationem habuit.

ee *Uterque ad Gentes Liber ad idem tempus editus*) Lib. 1. c. 17. ad Antonini Caracallæ titulos alludit, qui vocari volebat Parthicus, & Germanicus, & ibidem c. 9. tradit nondum interesse 300. annos à Christo mortuo ad ætatem suam usque, quo patet tertium seculum jam processisse. Præterquam quod Libri isti post Apologeticum scripti sunt quam rem dilatat, limat, & in ordinem digerit in hoc utroque Libro, in quo etiam plures reperiuntur elocutiones ex Libris deprompttæ, quos scripsit ex quo fuit Montanista.

ff *Quod Salviamo Massiliensi Episcopo tribuit Gennadius*) In Catal. c. 67. *in morem Græcorum de principio Genesis usque ad conditionem Hominis composuit versu Hexametro*, id extat in Poemate de Genesi Tertulliano tributo.

gg *Fortè est Verecundi*) Isidorus *de viris illustris c. 7: Verecundus Africanus Episcopus studiis liberalium litterarum disertus edidit carmine dactylo duos modicos, brevesque libellos, quorum primum de Resurrectione, & Judicio scripsit, alterum de Pœnitentia*. Carmen de Judicio est etiam de Resurrectione. Tradit Garcias se Carmen de Pœnitentia legisse, ex quo primum adducit versum, qui est eodem stylo quo initium Carminis de Judicio; nonnulla tamen occurrunt loca, quæ Verecundo recentioris Auctoris videntur esse, qui quinto seculo vixisse creditur.

hh *In Poemate contra Marcionem*) Lib. de Anima c. 57. tradit Tertullianus non Samuelis Animam, sed Spectrum à Pythonissa evocatum; & Poematis l. 3. supponit Samuelem ipsum rediisse, ut Sauli prænuntiaret quid ipsi futurum esset. Lib. de Præscriptionibus apud Tertullianum Petro succedit Clemens, & hic eum quartum à Petro numerat, duos constituens Pontifices ex Cleto, & Anacleto.

ii *Ratione sese enuntiat ei quæ in sequentibus seculis usuvenit non omninò consona*) Tradit 1. Verbum à Patre genitum cùm Mundum condere voluit, verùm agnoscit eorum tempore fuisse apud Deum, & Personam ab æterno à Patre distinctam. Itaque omnis ambiguitas latet in voce Generationis, quam non intelligit de æterna Filii Processione, sed certa quadam Prolatione, aut Emissione ad extra, quam factam concipiebat Creationis Mundi tempore, quoniam per Verbum Deus eum creavit, & regit. Id liquidò patet in Libro Tertulliani, nec mirum si in Libro contra Hermogenem scribat tempus aliquod extitisse, quo Pater non erat Pater, & Verbum cœpisse esse Filium, quia putat eum tùm qualitatem, tùm nomen Filii habuisse solummodò cùm hic mundus conditus est, quamquam apud Deum foret anteà, & ab æterno à Patre distinctus. 2. Tradit Patrem esse invisibilem, & Filium visibilem, verùm eo sensu quo jam à nobis explicatum est, h.e. Filium seipsum semper hominibus præstitisse visibilem, varias sumendo formas, quibus eis apparuit, & denique humanam assumendo naturam. 3. Alicubi insinuare videtur Verbum etiam quà Verbum, Patre inferius esse, at id capiendum de inferioritate, quam originis vocant Theologi, h.e. ut ipse scribit, quòd omnia à Patre receperit, tradit enim liquidò non semel Patrem, & Filium unius esse substantiæ. 4. Substantiæ vocem usurpat aliquando ad Personam subsistentem significandam quod Priscis ante Concilium Nicænum solemne est, & nonnullis etiam post hoc Concilium.

KK *Tria hæc quidem styli vitia apud plerosque Auctores Africanos occurrunt*) Excipiendi sunt Minutius, Cyprianus, & Lactantius, sed ab Africanorum stylo recesserant, & Cypriano adhuc aliquid est reliqui.

ll *Ita sententiis semper dissederunt, & etiamnum non medioeriter viri variant &c.*) En tibi quædam tùm Antiquorum, tùm Recentiorum de Tertulliano judicia. Cyprianus auctore Hieronymo, qui id acceperat à Presbytero quodam qui id à Cypriani scriba didicerat, nonnihil ejus operum quotidie legere solitus erat, & ejus rogando librum, aiebat: Date mihi Præceptorem meum. Revera eum imitatus est, & ab eo non pauca desumpsit. Pleraque etiam suorum operum eodem quo Tertullianus instituto composuit ut suum de Idololatria Librum ad instar Apologetici: Libros *de Disciplina, & habitu muliebri, de Zelo, & Livore, de Oratione Dominica, de Opere, & Eleemosynis*, ad imitationem Tertulliani.

Eusebius tradit de Tertulliano eum unum ex eruditissimis Latinis Scriptoribus fuisse, & in singulis Ecclesiis clarissimum.

De eo judicium fert Lactantius à nobis allatum, quod ejus non cedit honori. Hilarius in suo in Matthæum Commentario scribit, errorem in quem lapsus est ejus Librorum auctoritatem elevasse, qui aliqua erant approbatione digni.

De eo nonnumquam honorificè loquitur Hieronymus, ut in Catalogo, ubi loci eum dicit acris & vehementis ingenii virum; & in sua ad Magnum Epistola, tradit eruditione & subtilitate omnes ei auctores inferiores esse, sed alibi ejus errores increpat, & vitia. In sua contra Ruffinum Apologia, ait, *ejus ingenium laudo, hæreses damno*: & contra Helvidium, ei respondet Hæretico. Tertulliani auctoritatem opponenti, *de Tertulliano dico, Ecclesiæ*, hominem non esse.

Tertulliani stylum laudat Augustinus, & ejus ubique damnat errores, in Lib *de Genesi ad litteram* tradit Tertullianum acri ingenio nonnumquam veritatem prospexisse, nec potuisse quin eam aliquando vel contra mentem suam poneret.

Tertullianum ita suis pingit coloribus Vincentius Lerinensis, *Tertullianus est*, inquit, apud Latinos quod Origenes apud Græcos, h. e. *primus, & caput cæterorum. Revera quis doctior, & omni scientiarum tùm Ecclesiasticarum, tùm Prophanarum genere absolutior. Nonne in sua ampla & prodigiosa memoria totam Sapientum Philosophiam, variarum Sectarum Dogmata cum omnibus historiis & scientiis complexus est. An unquam aliquid impugnandum aggressus est, quod semper aut ingenii acumine non confoderit, aut rationum robore & pondere obruerit. Ecquis satis laudare posset ejus sermonis lepores ita rationum serie contexti, ut vel ab eis consensum extorqueat, quos nequit convincere? Ejus verba totidem sententiæ. Ejus respon-*

sa

sa totidem ferè victoriæ, ut experti sunt Marcion, Apelles, Praxea, Hermogenes, Judæi, Ethnici, Gnostici, & tot alii, quorum blasphemias variorum operum multitudine diruit, quibus veluti totidem fulminibus in cineres redactæ sunt. Nihilominus tamen quamquam tot dotibus clarueriт, in Ecclesia antiqua & Catholica fide non perstitit, & minùs fuit fidelis quàm eloquens. Sententiam tandem mutavit, & ejus errore, ut notat Confessor Hilarius, ejus libris approbatione dignis derogata est dignitas.

Trithemi, Rhenani, Politiani, Pamelli, Rigaltii, & cæterorum recentiorum judicia silentio prætermitto, qui à singulis consuli possunt, & duorum Nostratium Gallorum auctorum judicio fidem facio, qui uterque Tertullianum sed variè pinxit.

Prior est clarus Balzacius in Epistola ad Rigaltium 2. Lib. 5. *Tertullianum*, inquit, *expecto, quem in lucem emittis, ut me patientiam quam tradit doceat..... Cum eo Auctore in gratiam rediissem tua præfatione, si eum fuissem odio prosecutus, & si ejus dictione dura, & ejus seculi vitiis ab eo legendo fuissem deterritus; verùm jam diu est quod eum magnifacio, & quamvis spinis sit obsitus & tristis, mihi non videtur injucundus. In ejus scriptis nigrum illud de quo Vetus Poeta canit mihi occurrit lumen, & ejus æquè me juvat obscuritas, ac nitentis ebeni & fabrefacti. Ita semper sensi, ut Africanæ formæ, licèt à nostris abludant, tamen sua non carent amabilitate, & ut non paucas Italas obscuravit Sophonisbe, sic ejusdem regionis ingenia cum sua extera placet eloquentia, & huic plures Ciceronis imitatores post ponam. Delicatissimis fateamur, ejus quidem stylum esse ferreum, at nobis quoque fateamur, ex hoc ferreo eximia eum arma audisse ac Christianæ Religionis cùm honorem tùm innocentiam propugnasse: Valentinianos acriter persecutum fuisse, & Marcionem penitus confodisse.*

Posterior est P. Mallebranchius Investigationis Veritatis Auctor Lib. 2. c. 3. *Tertullianus*, inquit, *procul dubio vir omni doctrina excultus erat, at plus memoria, quàm judicio pollebat. Acri magis & vasto ingenio, quàm acri & vasta mente. Denique dubitari nequit quin fanaticus fuerit eo sensu quo supra explicui, & quin omnia propemodum fanaticis propria ei fuerint. Eo quòd Montani ejusque Vatum visiones veneratus fuerit evincitur quod debili judicio fuerit. Acies illia ingenii, impetus, de levibus afflatus, mentem effrænatam non obscurè denotant; quot in ejus hyperbolis & figuris motus abnormes? quot rationes splendidæ ac magnificæ quæ suo duntaxat splendore probant, & persuadent solùm mentem stupefaciendo atque perstringendo.* Deinde demonstrare conatur hanc veram illius esse imaginem, quædam exscribendo ex libro de Pallio, quo existimavit opere id appositè evinci posse.

INDEX

Operum quæ hoc volumine continentur.

FINIS.